FRANCISCI BOCCHII,

ELOGIORVM QVIBVS VIRI clarissimi nati Florentiæ decorantur,

Liber Secundus.



FLORENTIAE,

In Officina Sermartelliana 1607.

Concedimus licentiam imprimendi hunc librum Domini Francisci Bocchii cum licentia R. Patris Inquisitoris. Die 18. Februarii. 1606.

Cosmus Antell. Vic. Gen. Flor.

Frater Lelius Plac. Inquis. Flor.

Petrus Cabil. pro Serenissimo Magno Duce Aetruriae Auditor Fiscalis.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO ALOYSIO CAPPONIO,

Theſaurario Cameræ Apoſtolicæ.

A SVMMIS viris noſtra hæc patria copioſa ſemper fuit; tulit enim tantum virtutis, tantum induſtriæ, vt ſibi ipſi emolumento; ceteris autem glorioſis vocibus eſſet admirabilis. Quicquid enim nobilibus in artibus reperitur & didicit ſapienter, & ad hominum vſum vtiliter impertiit. Peragratis igitur noſtrorum hominum laude cunctis pænè regionibus, æquum eſſe mihi viſum eſt, vt, quæ virtus tam ſecundo populo vel alienis in locis celebratur, eadem apud nos quàm maximè teſtata ſit. Rem grauem ſum aggreſſus, vt vides, minimè tamen, vt opinor, noſtris hominibus ingratam. Datum eſt enim triginta viris ſummæ laudis teſtimonium; qui & ſe egregiis artibus ornarunt, & noſtram hanc patriam ingenij magnitudine illuſtrarunt. Permultos alios prætereà in hunc numerum poteram includere, ſi otij ſatis datum eſſet; &, quantum vnuſquiſq; virtute præſtitiſſet vt res ipſa poſtulat, mihi notum eſſet. Numerum autem nunc decem virorum tantummodo promulgare libitum eſt; vt ſpecimen noſtris hominibus præſto ſit, quid ſibi de ceteris poßint polliceri. Prodit ſe primò Ioannes Baptiſta Capponius vir ampliſſime, gentilis tuus, diſciplinis clariſsimis, ſanctiſsimiſq; moribus

ribus

ribus ornatus: fuit insignis animi lenitate, illustris rerum optimarum scientia; qui factus ad probitatem tam valde ad veram virtutem semper se exercuit, vt veterum hominum, qui sanctissimi fuerunt, olere sanctitatem videretur. Habet ille à me, vt ceteri, summæ virtutis, summæq; doctrinæ testimonium, exiguum sanè, si magna merita inspicias, sed tamen debitum, summaq; ab inductione animi profectum. Maiore ingenio fortasse alii res easdem, & commodius suscipient: vitæq;, quæ tam multis virtutibus conflata est, ratione habita vt iure optimo res flagitat summæ omnium opinioni respondebunt. Quàm multis, grauibusq; negotiis premi solitus sis, minimè me latet; sed tamen aditum, quem magna occupatio claudit patriæ amor patefaciet; & vt cognoscere velis, quod iam impressum est, præcipuè, nisi fallor, admonebit. Ego enim cùm gentilis tui virtute admonitus, tum animi tui in bonas artes propensione impulsus has lucubrationes tuo nomini dicare constitui. Habebis, quò tendis his legendis elogiis, iter tritum ad gloriam; quoties enim tot hominum illustrium virtutem voles intueri, toties, vt opinor, te ipsum incitabis ad laudem, &, vt te quàm simillimum efficias, toto pectore cogitabis. Tua enim vita ita velà puerilibus annis ad hóc vsque tempus traducta est, teq; etiam ipsum ita firmata ætate roborasti, vt nihil à te nisi summum, nisi omni ex parte expetendum possit expectari. Vale; Florentia, quincto Nonas Maii 1607.

Amplitudini tuæ deditiss.

Franciscus Bocchius

ELOGIA CLARISSIMORVM VIRORVM QVI FLORENTIAE CLARVERVNT,

SCRIPTA A FRANCISCO BOCCHIO.

VIGINTI viris clariſſimis ſatis eſt, vt opinor, demonſtratum, quantopere noſtra ſit ciuitas illuſtris, & quàm iure optimo in hoc genere ceteris ciuitatibus omnibus non concedat. Minimè id obſcurum eſt: res ipſa loquitur ſua ſponte, tam multis indiciis, vno ore cunctarum gentium; vt vocare in dubium, quod veriſſimum eſt, aut ſummæ iam ſtultitiæ ſit, aut impudentiæ non ferendę. Gignit enim noſtra hæc tellus, aut ciuitas noſtra potius viros ingenio acres, induſtria inſignes; quorum virtus quicquid aggreditur, in eo vel maximè excellit. Diligens eſt in rebus ciuilibus, in Reipub. adminiſtratione admirabilis, in capiendo conſilio prudens, in conficiendis magnis negotiis experiens, in rebus arduis, & obſcuris ſagax, & ſapiens. Gens noſtra, quoties opus eſt, rei militaris munera forti animo obire ſolet, &, quod maximum eſt, cunctis in rebus, quod futurum eſt, ſapienter, atq; acri iudicio videt, & proſpicit. Mercatoriæ artis ita eſt perita, & ſollers, vt rationes eius omnes benè cognitas habeat, &, dum cęteras nationes reſpicis, omnium hæc conficientiſſima literarum habeatur. In pictura præterea, ſculptura, fabricandiſq; ædificiis nemo noſtris cum viris noſtrę ciuitatis ſe ſe comparet, ſed eis planè animo æquiſſimo concedat; quando noſtrorum hominum laus eò progreſſa eſt, vt propter inſignem induſtriam vlterius progredi ars ipſa nequaquam poſſe videatur. In literis verò, nobilibusq; artibus, vbi vis ingenii, quid potiſſimùm poſſit, præter cetera perſpicitur, omnium inſtructiſſima ciuitas noſtra reperietur; quæ tam multa huius rei nomine habet documenta, vt de primo gradu ſit ei cogitandum potius, quàm vt eius dignitas, dum comparatur, veniat in dubium. Frequens eſt in noſtris hominibus hic intelligendi, & cognoſcendi ſenſus; quem vnuſquiſq; ex matris vtero ſecum effert, & quo etiam ad literarum ſtudium ſua ſponte incitatur. Quid? libet enim hic ponere, quod paulò ante factum eſt, quod vidi quadam in bibliotheca cùm adeſſem; venit homo ruſticus in officinam, qui ab vrbe non longè habitabat, petit à bibliopola, quanti liber

quidam de agricultura, atque iidem de astrologia venderetur; respondit artifex, vt res in præsentia postulabat. Tum ego; ad quid, bone vir, libros tam bonę lectionis postulasti? num inter boues,& aratra (erat enim, vt vestitus,& manus rusticana indicabat, aut bubulcus, aut arator) bonis literis operam daturus es? ego, respondit ille, dicam tibi; Postea quam arando, & fodiendo satis in agro delassatus sum, vt me à labore nimio reficiam, tum non nihil conquiesco, atq; aliquem huiusmodi librum in manus sumo: si quid est, quod artem, quam factito, iuuare possit, diligenter attendo; sin minus, animi causa tantisper lego, dum lectione non iniucunda me oblectē. Nostri homines rustici, vt apparet, dum literarum magno studio tenentur, in eis mirabiliter proficiunt. Quid eos, qui & literas profitentur, qui otio abundant, facere arbitramur? Sed rem ipsam, vt postular ratio, repetamus. Viginti virorum illustrium appellatio maxime insignis est ad laudem, vt vidimus; nec desunt præterea alii, qui, dum doctrinis egregiis se exercent, eandem ipsi laudem sunt adepti; quos si volumus omnes recensere, singulorumq; industriam describere, immenso plus crescer volumen, nec modus tam magno in numero summorum virorum, aut finis reperietur. Seliget ergo meus hic labor etiam nonnullos, qui iisdem in literis, atq; artibus floruerunt; quorum virtus ita est omnium iudicio insignis, vt sine ingrati animi culpa præteriri silentio non possit.

IOANNES BAPTISTA CAPPONIUS.

Ostendit se se primùm multis cum meritis vir doctissimus, idemq; integerrimus Ioannes Baptista Capponius; qui natus Florentiæ nobilissimis parentibus, disciplinaq; sanctissima educatus tantum initio ętatis didicit literarum, vt cùm sua sponte ad probitatem factus esset, optimarum artium præsidio admirabilis euaderet. Minimè hic grauiores literas didicit, vt se in eis animi causa oblectaret; sed eo nomine, vt vim earum in se ipso exprimeret, & se ad virtutem grauiter,& verè conformaret. Vitiis igitur, vitiorumq; illecebris proiectis, totum se probitati tradidit excolendum; atq; in hoc negotio profecit tantum, vt, cùm sibi vni tātummodo viueret,& Deo, verum in se virtutis exemplar sui animi viribus efficeret. Variis ex artibus, eisq; clarissimis multa didicit; ex optimis auctoribus multa cognouit; sed cùm animo insideret vis summa pietatis, eò tota mentis cupiditas delapsa est, vbi commorari diutius, & fruticari constituerat. Nullis igitur parcens laboribus, nec molestiis, sacras literas toto pectore complexus est; quibus literis cùm suum animum sanctissimè ornaret, vt, quod erat adeptus, ad aliorum emolumentum conferret, numquam destitit. Non deerat qui ab eo iudicium expeteret, qui eum de rebus grauibus consuleret, sententiamque grauissimi hominis exquireret. Omnes ille excipiebat humaniter, tractabat sapienter, & rerum, quas petebant, compotes omnino dimittebat. Florentibus

rentibus annis corporis viribus infirmis vsus est; cùm ad annos ingrauescentis ætatis ventum est, ne morbi quidem suspicio eum vnquam attigit. Occupauerat ille, atque intercluserat omnes leuium cupiditatum aditus, ne ad se possent aspirare; tantaq; continentia, & munditia morum animum suum sepserat, vt totius vires corporis fierent in dies meliores, nec medicorum præsidium requirerent. Hac ille virium prosperitate incitatus magnos rerum sacrarum progressus quotidie colligebat; vt non solum se legendis sacris libris augeret, sed clarissimis etiam scriptis, quid proficeret, testaretur. Dies erat nullus, in quo, rebus nouis ediscendis, non se exerceret, quę venerant in mentem, notaret, & summa cum diligentia scriberet. Nulla in eo fucatæ laudis suspicio dominata est; nullum vestigium honoris expetiti vmquam extitit. Qui Canonicus principis ædis, atque in hac dignitate, quæ minimè mediocris est, sedulò conquiescens, cùm honores, qui erant amplio res, deferentur, forti animo conditionem omnem recusauit. Dum esset igitur Florentię (contulit enim se rus paulopost, vt ibi negotiis procul vitam ageret) contigit potissimùm, vt dignitas Archipresbiteri principis templi inde mortui locum esset conferenda. Mandato igitur Cosmi, Magni Ducis vniuersis Canonicis permissum est, vt quem ipsi probarent, consultò deligerent, suisq; suffragiis statuerent. Omnes Ioannem Baptistam ad vnum deligunt, qui esset Archipresbiter, atque ei nouam hanc dignitatem gratulantur. Grauatè ille has omnium voces audit, & propensionem animorum agnoscens, fortiter, qui deferebatur, honorem recusauit. Ad Magnum Ducem res tota pertinebat, cuius mandato acta erat; adit igitur ad Principem Capponius, & clara voce, certo animo tantum dignitatis, quę sibi delata erat, recusauit. Canonicis gratias agit; affirmat eorum in se beneuolentiam agnoscere; sed, cùm rem eiusmodi non expeteret, in manu Principis dignitatem delatam libenti animo resignat. Obstupuit Cosmus ad vocem summi viri, multisq; verbis vltro, citroq; habitis, admirans reperiri hominem, qui ea, quę alii vel maximis, laboribus quærunt, recusaret, subiecit statim; ergo si quis tibi offerret Episcopatus dignitatem, eodem pacto recusares? ad ea respondit Capponius; quid tum mihi faciendũ esset, nunc ignoro; sed tamen, si recusarem, facerem id, quod egit Diuus Dominicus, egit Diuus Bernardus Abbas, egit Diuus Thomas Aquinas, qui omnes forti animo hanc dignitatem recusarunt. Erat ille annorum sexaginta, cùm eum rerum vrbanarum non odium, sed satietas iam ceperat; statuit igitur secedere, & quicquid esset ætatis reliquum, ruri præcipuè transigere. Fuit igitur deinde suis in agris, quoad vixit, tanta cùm animi innocentia, tum vitę etiã integritate, ut ueterum sanctissimorum patrum memoriam renouaret; qui rebus huius seculi dimissis, totos se rerum diuinarum contemplationi tradiderunt. Lucebat tamen summa probitas in solitudine, rusticanisq; in locis vis veræ virtutis eminebat. Gens, quæ finitima erat, & quæ longè aberat, concurrebat ad eum capiendi consilii causa, atq; in sedandis rixis, & di-

scordiis miro pacificatore vtebatur. Quod statuebat vir integerrimus, ratum habebat vnusquisq;, placatusque omnino discedebat. Fuit tanta animi benignitate præditus, ut nemo, dum peteret ab eo aliquid, abiret tristis; sed, qui præcipuè Dei nomine postulabat, ab homine liberalissimo, qui nihil denegare consueuerat, omnia assequebatur. Placuit ei hospitalitas vehementer; cui ut inseruiret (erat enim à multis opibus benè paratus) nullis molestiis, nullisque impensis pepercit vmquam. Excepit ille homines semper (dummodo vita honestissima essent) hilari animo, tantaq; comitate, vt, suis relictis commodis, aliorum commoda intueretur, & se totum ad eorum mores, quo ad eius fieri posset, conformaret. Vultus enim hilaris liberalitatem commendabat; cùm viginti persæpè, aut amplius, eleganter, & lautè conuiuio acciperet, egentesq; munificè subleuaret, eandem (qua multa cum gloria adhuc viget) Cimonis Atheniensis benignitatem graues homines in Capponio intueri fatebantur. Insederat in eius mente dictum Diui Ambrosii, quod in eius lucubrationibus legerat: hic censebat præcipuè viro optimo conuenire, vt diuitiarum fructus in egentium vsum, quatenus res pateretur, maximè conuerteret; atq; idcirco affirmabat Capponius, velle se viri sanctissimi dicto obtemperare; qui, quoties occasio oblata est, idipsum non inanibus verbis (quibus nemo fuit vmquam inimicior) sed re ipsa impleuit liberaliter, & præstitit: vt vir sua sponte liberalissimus suis in ędibus morem benignitatis Brettinorii renouasse videretur, cùm de recipiēdo hospite certare inter se paratus esset vnusquisq;, vt liberalitatis conditio ad se potissimùm pertineret; eodem pacto Capponius & homines ad se venientes excipiebat benignè, &, vt apud se diuersarentur libenter, inuitabat. His rebus omnibus, quę sunt maximè insignes, accedit viri doctissimi mira nobilissimarum artium cupiditas; magnos ille progressus hoc nomine in illo otio rusticano quotidie faciebat; quotidie, vt moliretur semper aliquid, quo se rebus nouis exornaret, requirebat. Cùm inaudisset, viris doctis in causam incumbentibus, libros Alphonsi Tostati maximè celebrari, cuius viri clarissimi nomen tum primùm in Hispania emersit, tanta vir hic summus exarsit cupiditate, vt eis potiretur, vt non conquiesceret, donec, vt fieret voti compos, ad se perferendos primo quoque tempore curauit. Delatę sunt igitur primò in Italiam per Capponium lucubrationes Hispani hominis, viriq; doctissimi, & deinde Florentiam; quibus lucubrationibus, quando rerum sacrarum tota supellex continetur, diuinæ legis studiosissimus quisque magno se beneficio esse affectum profitetur. Quantæ vir esset probitatis, multæq; doctrinæ, cùm iter haberet in Galliam, satis tunc patuit; contigit enim, dum diuersatur in caupona, in terris Gallicis præsertim, vt adiret ad eum vir benè illi notus in Italia, sed vestitu mutato, quippe qui professione antea Cappuccinus ab Religione Catholica defecerat, primò aspectu optimę pietatis hominem commouit. Hic erat Bernardinus Occhinius, qui multis in vrbibus Italię, multis concionibus sui nominis famam dissiparat. Obiur

gauit-

gauit igitur Capponius hominem impium commoto animo, atque acerrimo; quòd cùm aliquo numero esse potuisset, iniquissimè in hæresim delapsus dignitatem in se Christiani nominis, suamq; animi salutem, nefando scelere admisso, prodidisset. Orta deinde contentione de rebus sacris, cùm viro iniquo resisteret fortiter Capponius, atque esset ab Occhinio (vt hereticis mos est) dimidiatis sensibus prolata quędam auctoritas, quasi quædam faces ad obiurgandum hominem admotæ essent, incensus ira, vt totam sententiam proferret, postulauit. Quam rem cùm se alia ratione nescire affirmaret, recitabo ipsemet totam, dixit Capponius; qua ordine prolata, conticuit vir nequissimus, & vera dicere Capponium, & se turpiter in illam miseriam incidisse confessus est; vbi, vel se inuito, sibi esset tunc permanendum. Quamobrem obiurgans, & reprehendens dimisit à se hominem Capponius. Multarum lucubrationum scripta conseruantur apud Nerium Capponium; qui à patruo acceptas, qui scripsit, ita custodit (morientibus enim vocibus commendauit) vt nihil ei omnino sit antiquius. Satis eis legendis apparet, quàm magno præditus fuerit ingenio Capponius, quàm multa legerit, cognouerit, & scriptis denique expresserit. Quadraginta libellis (opuscula diceres) res varias, vtiles, salutares complexus est; mira doctrina mitras cogitationes suopte ingenio persequitur, tanta pietate, vt, dum iis legendis semper aliquid addiscis, diligentiam viri doctissimi planissimè agnoscas. Spectat ille in primis veterum patrum auctoritatem, nec ab iis, qui ab scholis, cunctisq; rebus subtiliter disceptandis nomen habent, vllam in partem abhorret. Hac ratione insignis doctrina conflata est; quæ si ordine digeratur, doctorum hominum vsui esse posset. Agitur enim in eis variis de rebus sacrarum literarum; vt de Ecclesiæ Sacramentis, de quæstionibus ad philosophiam pertinentibus, de incarnatione Verbi, de Summi Pontificis auctoritate; agitur de Sacramento Eucharistiæ, de Conciliis, de libris Canonicis; agitur de sententiis veterum patrum, de temporum computatione, de regulis historiæ. Quæ omnia & presso stylo scribuntur, & mira sedulitate verborum, & sententiarum nón sine grauitate explicantur. Hæc si quandoq; in publicum prodierint (scripta sunt enim, ne tam egregias meditationes obliuio deleret) quantus vir fuerit Capponius, ostendent, & quàm magna probitate, nobilibusq; artibus præditus fuerit, declarabunt. Annum agens septimum, & octogesimum (cùm interim à piis, doctisq; cogitationibus non cessaret) mortuus est, cunctis sensibus à sapientia tam exploratis, vt omnibus, qui aderant, vel morientibus vocibus pręcepta daret, Neriumq; Capponium, & Alexandrum Caccium, cui Canonicatus dignitatem resignarat, officii sui admoneret; plenusq; pietatis cunctis Ecclesiæ sumptis Sacramentis, sublatis ad cœlum oculis (vt bonorum virorum est opinio) ad cœlestes diuitias euolauit.

Clemens

CLEMENS THOMASINUS E FAMILIA ORDINIS *Conuentualium Diui Francisci.*

CLemens Thomasinus natus Florentiæ non ignobilibus parentibus dum se multiplici scientia exornat, familiam sui Ordinis, & suam patriam illustrat. Nemo fuit hoc viro in disciplinis Peripateticis doctior, nemo instructior; qui acri ingenio præditus, & singulari memoria adiutus tam multa didicit, vt cunctis admirabilis omnes, qui de nobilibus artibus secum disceptarent, omnino superarit. Magnos ille labores, qui proponebantur, vicit patienter; difficultates ita exorbuit, vt sui voti compos ad extremum, quem natura ingeniosum pepererat, continenti studio se præstantissimum effecerit. In sacris literis nihil erat, quod non haberet cognitum, nihil tam abstrusum, quod non calleret optime, maximeq; intelligeret. Lectionibus Diui Pauli addictus, tractandis rebus sacris ita eisdem vtebatur, ut ei nihil esse antiquius videretur; Sed Ioannis Scoti doctrinam admirans, & ediscens, dictu incredibile est, quàm miros inde progressus flagranti studio collegerit, quàm subtili ratione abditos sensus vestigarit, quàm acerrimis in disceptationibus disputator acerrimus euaserit. Erat in huiusmodi rationibus copiosus, abundabat argumentis; suam ipse sententiam ita tueri consueuerat, vt contra differentes multis, subtilibusq; argumentis sæpissimè obrueret. Multi, dum doceret, eum audire, & frequentare soliti sunt; fuit in iis Felix Perettus eiusdē cœtus gregalis, qui paulo post, prouehēte Pio V. Pont. Max. in numerum Cardinalium cooptatus est; quique deinde Pont. Max. creatus, nec immemor magistri, cui tribuebat multum, si vita suppeditasset multū ei dignitatis, & cōmodi fuisse allaturus credebatur. Docuit præterea multos, sed tamen præter ceteros eminet Ioannes Acciaiolius; qui in Italiæ publicis gymnasiis dū clarissimis artibus dat operam, & se nobilibus disputationibus illustrat, quantus præceptor Clemens fuerit, satis exploratè ostendit. Magnus ad eum populi concursus factus est, quo tempore superiore è loco docuit; quòd contigit Perusiæ, Senis, Bononiæ, dum libros Sententiarum, & totam philosophiç supellectilem interpretatur. Erat ille quasi quoddam oraculum optimarum literarum, quò permagnus eorum numerus concurrebat, qui studio sacrarum disciplinarum tenebantur; nemini ille deerat, qui cunctis in rebus dubiis poterat copiosè respondere; excipiebat omnes hilarè, qui omnia didicerat, vt omnium commodis posset satisfacere. Sacris præterea concionibus obeundis per annos octo, & quadraginta, totam peragrauit Italiam, cunctasq; regiones sui nominis gloria impleuit; principibus in vrbibus nobilis doctrinç tam magna huius viri amplissimi opinio orta est, vt mirarentur omnes, & cunctis omnium locorum doctissimis viris forti animo præferendum esse iudicarent. Cùm esset tantum nominis adeptus Tridentum anno M. D. LXI. missu clarissimorum virorum profectus est, Tridentinoq; in Concilio ita interfuit, ut rebus

grauis-

grauissimis, & sanctissimis disceptandis & suo responderet optimè officio, & sui nominis famam in conuentu doctissimorum patrum praeclarè tueretur. Deinde cùm ętas in dies magis ad sapientiam ingrauesceret, vocatu Francisci, Magni Ducis Etruriæ Senas profectus est; vt superiore è loco sacras literas,& philosophiam publicè profiteretur, & doceret. Quò in loco cùm sibi in laboribus non parceret,incidit in morbum, quo paulo post mortuus est; verissimis ille lacrimis à suis gregalibus desideratus est; magna in tanto viro nobilissimarum artium iactura facta est; perspectisq; rebus omnibus, quibus tam magnum in honorem sese extulit,non defuerunt,qui incomparabilis virtutis virum iudicarent, summisq; laudibus efferrent. Permulta reliquit scripta,quę apud Bonauēturam Cinellum eius alumnum summa cum diligentia conseruantur. Visuntur enim lucubrationes in totum philosophię corpus,quę viri doctissimi summum iudicium,summamq; sapientiam testantur; leguntur explicationes in totius theologiæ supellectilem non sine magna admiratione. Quid? ea quanti sunt,quæ scripsit in omnia Quadragesimalis temporis Euangelia, adiuncta singulis penè in verbis potissimum Diui Pauli actoritate? Scripsit etiam opusculum de Indulgentiis: atque itidem de capitalibus vitiis, nonnullaq; alia; quæ si typis publicè extarent, & doctorum hominum vtilitatibus inseruirent, & famam admirabilis scientiæ augerent. Omnes ille honorum gradus, Generali excepto, magno suorum gregalium consensu adeptus est; expetitusq; à viris principibus,& Cardinalibus, contentus vitæ suæ tranquillitate omnes omnium petitiones constanter recusauit.

ALEXANDER STROZZIVS VOLATERRARVM EPISCOPVS.

ALexander Strozzius,vir ingenio acer multò plus in suam familiam laudis intulit, quàm ex ea dignitatis nactus est. Hic enim sibi in virtute semper instans nullum vllo tempore remisit tempus,quin optimè faceret,& se multiplici virtute cumularet.Natus enim Florentiæ,id est in ciuitate, quę summa industria maximè insignis est, habuit nullū otiū otiosum; nobilissimisq; parentibus in hanc causam incumbentibus, ea disciplina in eo conflata est. quæ summam spem aleret virtutis, summamq; expectationem excitaret. Literas humaniores edoctus, quibus ad virtutem animus informatur, auctis ingenii viribus, res deinde maiores est aggressus. Dedit enim operam philosophiæ,disciplinisq; mathematicis flagranti cupiditate, & studio; sed res sacras præsertim ita est complexus, vt ea & sitienter addisceret, &,vt se ad earū virtutem exerceret,vehementissimè contenderet.Pręter cetera in eo pietatis,& Religionis propensio flagrauit; qua cùm doctissimus euaderet, seq; ipsum multa sciētia egregium efficeret, & iuuit humaniter multos,& sui nominis famam multum propagauit. Creatus ędis principis Prępositus, nemini inferior vitæ sanctitate,& doctrina facilè sibi omnium

nium

rituumgratiam adeptus est; in cœtu sacrorum virorum mirus erat eius virtutis splendor; dum mirarentur ingenii magnitudinem, artes nobilissimas, facere non poterant, quin summam probitatem, virtutem animi laudibus efferrent. Vir magni consilii permulta suæ sapientię singulis diebus dabat documenta; diligebatur à ciuibus suę ciuitatis; Canonicis eiusdem cœtus gratus erat, humanitate, atque industria, tractandis negotiis, omnium in se beneuolentiam comprehenderat. Iam verò à viris principibus expetitus nauauit operã magnis in rebus; vt, cùm ingenii magnitudine probatus esset summam ab eisdem gratiam facilè iniret. Multis enim literis, multaq; nobilissimarum artium scientia præditus, res nulla erat tam ardua, nec tam difficilis, quam acri iudicio non expediret, summaque diligentia non perficeret. Admirabantur omnes, cùm quotidie multum exhauriret molestiæ, & se nobilissimis disciplinis augeret, quo nam modo labores tam patienter ferret, tam pænè ærumnosè multis legendis libris se conficeret. Fuit omnino mirum, tantum esse in vno viro collectum literarum; qui cùm in suis opibus ageret facillimè, non parceret sibi tamen in laboribus, nimisq; duriter in huiusmodi se studiis exerceret. Impulsus hac fama Cosmus, Magnus Dux Etruriæ, filium suum Ioannem, qui à Pio Quarto in Cardinalium collegium iam erat cooptatus, Alexandri fidei regendum tradidit; &, vt cui æ ei esset (erat enim admodum adolescens) commendauit. Qua diligentia fidem Principi præstiterit, difficile quidem dictu esset; ita enim in hanc curam sedulò excubuit, vt nihil eum falleret, atque omnia, quò magis suo muneri responderet, exequeretur. Id ipsum non Florentię solùm, sed Romę etiam planum factum est; vir enim vigilantissimus, qui numquam pati otium didicerat, cùm rationẽ cohortium Cardinalium benè haberet cognitam, ita iuuenem suæ traditum fidei rexit, & docuit, vt gratus viris principibus, Pontifici Max. carissimus esset. Quamobrem cùm Volaterris vacaret dignitas Episcopatus, multis suffragantibus meritis, Cosmoq; Magno Duce prouehente, commendatus Pontifici Alexander, Episcopus creatus est. Moribus ille sanctissimis, singulariq; doctrina eruditus, dictu incredibile est, quàm multũ vigilarit, quam multa in suum hoc munus prompto animo contulerit. Earum rerum, quas gessit, viuit adhuc memoria in multis; qui dum probitatem, virtutem summi viri recordantur, libenterq; aliis enarrant, facile, quanta fuerit gloria, ostendunt. Illius profectò gregi exemplum, quod sequeretur, non defuit, dum Volaterris sacrum administrationis clauum tenuit, dum ius vigilantissimè dixit; qui omni sua vita tam apposité ad vim veræ laudis spectauit semper, vt quicquid moliretur, aut ageret, aut virtutem ipsam saperet, aut cum virtute coniunctum esse videretur. Antequam fieret Episcopus, fuit Inquisitor hæreticæ prauitatis; in quo munere gessit ille se seuerè, & grauiter; vt & iniquitatem insectaretur acerbè, & tam magni oneris dignitati non deesset. Quòd nostris temporibus inusitatum est, dum esset Episcopus, crebrò concionatus est Volaterris, vir sanctissi-

ctissimus superiore è loco, magna populi frequentia; augebat sacri muneris dignitatem summi viri maiestas; res præterea insolita (nec alibi fortasse nostris in regionibus mos huiusmodi vsurpatus est) magnum sua sponte concursum faciebat. Mira in eo pietas incendebat hominem, vt sibi non parceret; singularis optimarum artium scientia suppeditabat vires, vt muneri suo responderet; summa præterea cupiditas, qua sitienter animarum salutem exoptabat, vt ferret, quicquid proponeretur laboris, patienter, hortabatur. In quo negotio, quò esset animi sui mirabilis propensio testatior, multa ille volumina, vt Diui Ioannis Chrisostomi, Diui Augustini, Diui Hieronymi, aliorumq; scriptorum Volaterris reliquit; cauitq;, adhibita stipulatione, vt ea in vsum sacrorum oratorum cederent, qui singulis annis concionandi causa Volaterras venirent. Extant mirabiles eius lucubrationes impressæ typis, quibus Ioannis Tauleri per magnum opus è latina in Tuscam linguam studiosè conuertit; agitur in iis de vita ęrumnosa Iesu Christi; collectisq; grauibus, permultisq; doloribus, quibus Dei filius affectus est acerbissimè, præbita est piis animis, facultas, qua optimus quisq; ad patientiam, atque ad perferendas æru mnas huius vitæ certo animo se compareт. Conuertit idem sanctissimas exercitationes Christianæ pietatis Nicolai Eschii, viri sapientissimi; quæ typis promulgatæ, quantæ vir esset industriæ Alexander, quantæq; probitatis, singulis horis planè ostendunt. Alia scripta reliquit multa; quę aut difficultate inquirendi latent adhuc, aut hæredum negligentia perierunt. Doctissimum autem fuisse, nobilissimisq; in disciplinis versatum, nemo est, qui neget; exemploq; clarissimorum virorum, vt antea diximus, qui nihil scriptum reliquerunt, cùm ipsi essent doctissimi, vel si res extaret nulla, celebrandum tamen, vt summum virum, atque efferendum arbitrarer.

ARCHANGELVS BRVSCOLVS E FAMILIA ORdinis Seruorum Diuæ Mariæ.

ARchangelus Bruscolus Florentinis parentibus natus est in Bruscoli arce, quod oppidum in iugo Apennini situm eidem cognomen dedit, cū eius familia de Priorinis diceretur. Primis ætatis temporibus, quid esset è sua industria, & probitate expectandum, signa dedit; ingressus enim teneris annis in Societatem Seruorum Diuæ Mariæ, ita est ille Christianæ pietatis vim complexus, vt non mediocrem sui expectationem excitaret. Viris eum doctissimis instituentibus cùm primùm res graues cœpit meditari, quanti vir precii futurus esset, non obscurè ostendit. Crescente ętate doctrinas grauiores edoctus summæ eruditionis magna in dies magis dabat documenta. Adhibitus est ergo vel viridi ætate habendis concionibus;

in quo negotio ita initio se gessit, vt non multum intercederet temporis (quando ei & linguæ volubilitas, & singularis doctrina miram faceret audientiam) cùm, prouehentibus viris summis, vna cum vox omnium sapienter ad res grauiores extulit. Concionatus est, cùm esset annorum viginti trium. Neapoli in templo Diui Nicolai magno hominum concursu; deinde in maiori æde Diui Ioannis, tam magna eorum, qui venerant auditum, approbatione, vt eundem vel sequentibus annis iterum, & tertiò continenter vocarent eiusdem rei causa; in Ecclesia Archiepiscopatus præterea, atq; in templo Diuæ Annuntiatæ continenti triennio concionatus est, nequaquam eo expectato tempore, vt se à labore reficeret, quamobrem postea nouus veniret, & facultatem recentis doctrinæ secum ferret. Ingenium nobilibus artibus ornatum præsto erat, vt vel subitò de re eadem egregiè dissereret, & summę etiam expectationi responderet. Multo labore suum animum exercuerat discendo, multisq; vigiliis se eruditissimis meditationibus munierat, vt quamcumq;, & quo vis tempore in partem se converteret, suum munus impleret nauiter, & sui nominis famam doctissimis concionibus augeret. Vocatus itaque Genuam in Ecclesia Seruorum Diuę Mariæ concionatus est magna cum laude; altero deinde anno in Vineis, deinde in Diui Siri templo. Quid dicam de iis rebus, quas egit Bononiæ? & in magno doctissimorum virorum concursu quantus vir euaserit? Viuit etiam nunc in multis summa virtus, quæ, dum in templo suorum gregalium, in Archiepiscopatu, postremo in æde Diui Petronii concionatur, planè cognita est. Auditum concurrebat populus certatim; complebantur templa, vbi superiore è loco facturus erat verba vir insignis; magnusq; inde fructus cùm in multis, tum in viris clarissimis perspectus est; sed præter ceteros enituit Franciscus Panicarola, vir omnium, quos nostra ætas nouit, eminētissimus; qui tam multa doctrina præditus fuit, vt magnitudine etiam ingenii cunctis nostræ ætatis ingeniis præstitisse videatur. Is igitur Archangeli concionibus permotus, cùm militia, & mores huius seculi antea placerent, sub signis Iesu Christi de meliore nota cœpit militare; qui, quoties erat opus, & multum tribuere viro sanctissimo, & verbis amantissimis patrem, cui deberet multum, appellare consueuerat. Concionatus est præterea Venetiis multos annos celeberrimis in locis; sed, dum in Diui Marci templo sacram hanc exercet dictionem, satis constat, ita esse populum commotum, vt viri clarissimi admirarentur eloquentiam, &, quod ipse multis præceptis docuerat, sanctissimè exprimeret. Ad extremum in conuentu amplissimorum Cardinalium concionatus est Romæ in templo Diui Petri; quo in loco vt eum audirent, non defuerunt doctissimi viri; honestauit eum per

sæpè

sæpè sua præsentia Pius Quinctus; qui, viris clarissimis audientibus, Archangelum verbis grauibus laudauit, atque illi summi oratoris,& viri optimi dedit testimonium. Ad annos sex,& quadraginta durauit in hoc viro concionarius hic labor summa cum laude; ad hoc ille munus ita se honestissimis artibus exercuerat, vt numquam in concionem non benè meditatus veniret, & cùm se singulis horis gloria augeret, augebatur itidem concursus eorum, qui capti sanctissimis artificiis explicare suæ salutis rationem, eo concionante, cupiebant. Totius Italiæ spatia emensus lustrauit suis concionibus regiones pęnè omnes; ciuitas nulla est paulò notior, in qua suæ sapientię vestigia non sint impressa; vt cùm multas sui nominis causa collegerit laudes, Religionis suæ dignitatem suis lucubrationibus illustrarit. Quamobrem facilè factu erat, vt dignitatis gradum altiorem ascenderet, cùm se multis meritis,eisq; clarissimis sua industria exornasset. Concionatus erat Bruscolus trans mare Adriaticum Epidaurii; tantumq;, concionario tempore expleto, beneuolentiæ in Italiam deportarat, vt ciuitas illa,cùm abesset, clarissimi viri tamen memoriæ daret operam,& coleret. Gustarat, quàm magna esset morum suauitas, quàm vitæ sanctitas admirabilis; & cùm esset ei deligendus Archiepiscopus, tamet si multi hanc dignitatem expetebant, vnum tamen Bruscolum non petentem ceteris omnibus præferendum decernit. Res tota mandato Reipub. Epidaurii per Georgium Bartolium in Italia agebatur; multis hic rationibus & pænè precibus vtebatur vt Bruscolum ad petendam dignitatem hanc impelleret, & voluntatem optimorum ciuium agnosceret. Sed qui sibi tantum,& Deo viuere destinarat, firmo animo omnium voluntates multa pollicentium recusauit; nemini ille hæc nota esse voluit,nec cuiquam etiam nunc comperta essent, nisi idem Georgius, & Braccius Ricasolus,quibus cum summa familiaritas intercedebat post mortem, vt erat res gesta, enarrassent. Maximorum virorum studiis adiutus ad amplioris conditionis gradus omnino promotus esset,dummodo vitæ suę commodis inseruire,& flectere voluntatem ad petendum voluisset. Habebat illud in ore,& crebrò vsurpabat, eum ipsum,cui victus, & vestitus satis non essent,parùm in se nomen viri religiosi tueri; cùm pręcipuè,quid professus fuerit, meminisse deberet,qui Deo se obseruaturum paupertatem,& obedientiam pollicitus sit. Sed quò ille honores minus expetebat, eò à sui collegii viris obtrudebantur magis; functusq; honestissimè sacris magistratibus cùm annum secundum,& sexagesimum ageret, Florentiæ mortuus est, summoq; cum honore funeratus. Reliquit scripta summæ eruditionis,& maximè vtilia; quibus,si typis aliquando promulgentur, quàm magna eius fuerit virtus,declarabitur. Scripsit igitur,

cùm esset Epidaurii super Decalogo doctissimas lucubrationes, & rogatu Archiepiscopi eiusdem loci doctrinam hanc eandem de superiore loco docuit, anno præsertim CIↃ. IↃ. LXIIII. vt, quod mandatum erat in Concilio Tridentino tunc recens absoluto, seruaretur. Fuerat enim statutum, vt Episcopi, itidemq; Archiepiscopi curarent maximè, vt in sua Ecclesia vnusquisq; sacrarum literarum lectorem adhiberet, qui salutarem doctrinam sacris, publicisque in locis doceret, si id ipsum ipsi minus commodè facere possent. Hanc rem mirabiliter præstitit Bruscolus, suoq; muneri egregiè respondit, cùm ab Archiepiscopo, vt id faceret, rogaretur. Scripsit itidem super Symbolo Apostolorũ vtiliter, & doctè; & dum priuatim hanc doctrinã docẽdo suo ore Bernardino Brisegnio, Nuntio Apostolico impertit, miras lucubrationes non sine magna industria collegit. Sed, quæ summum ingenium ostendunt, extant scripta in Genesim singulari pietate elucubrata; quibus cùm plures annos dat operam scribendis, eandem doctrinam Cisterciensibus patribus sua voce nauiter impertit. Luculentum est opus præterea, quo Bruscolus sermonem Domini, qui in monte habitus est, ex Euangelio Matthęi interpretatus est. Tractatus permulti legi possunt admirabili doctrina meditati, quos variis in locis Italiæ multa cum dignitate docuit; de prędestinatione agitur in eis illaboratis sensibus; vt quò magis facilè res ardua tractata est, eò est magis summi viri diligentia illustrior. Commentaria permulta legi possunt variis in Italiæ vrbibus concionario tempore explicata; quæ si colligantur, ègregium, & per amplum Quadragesimalis dictionis corpus efficient. Monstri simile est, quod prædicandum, atq; efferendum in Bruscolo perspicitur; Durauit, vt dictum est, concionarius labor (quem ille suam magnam Quadragesimam appellare solitus erat) sex annos, & quadraginta; atque anno secundo, & sexagesimo mortuus est; vt sit necessariò dicendum, in concionem eum publicè ascendisse, cùm vix annum ageret decimum, & septimum tantummodò. Vix annis puerilibus expletis se se corroborarat, cùm ei res viriles, arduæ sunt propositæ; quas tamen ita excepit, vt grauitati summi oneris non succumberet, & hominum doctissimorum expectationi mirabiliter responderet. Multa pręterea, quæ florentibus annis scripsit, quæq; ad philosophiam pertinent, & logicam; quæ si vsuuenerit aliquando, vt typis publicè legi possint, omnino, quàm vir summus fuerit Bruscolus, ostendent. Hæc scripta omnia apud Archangelum Gianium ex sorore nepotem singulari cum diligentia conseruantur; qui dum mirum in modum, & iure optimo auunculum dilaudat, & summę dat operam pietati; & quicquid aut didicit, aut adeptus est, id omne suo Bruscolo grato animo acceptum refert. Minimè hic indignus est, qui clarissimi viri, eiusdemq;

con-

consanguinei nomine eodem nominetur; duobus enim operibus, quæ typis iam promulgata sunt, se ipsum, tamquam obsidibus obstrinxit, vt sit sui necessari quàm simillimus, eiusdemq; vestigiis insistat. In opere, in quo de origine sacri collegii Seruorum agitur, satis apparet, quàm summo ingenio præditus sit, & quàm se valde ad veram laudem nobilibus artibus exercuit. Alterum opus, quo vitam, & res gestas Beati Philippi Benitii persequitur, satis indicio est, quàm penitus processerit discendo & quantopere se gloriosis laudibus cumularit. Qui non contentus tam multis lucubrationibus, res nouas meditatur quotidie, & florentibus adhuc annis in disciplinis grauioribus maiores progressus pollicetur. Grauibus occcupationibus impeditus (est enim Seruorum paulo ante Tusciæ regionis declaratus Prouincialis) subsistet paulisper: sed magni ingenii viribus incitatus vel maximę opinioni, quæ de se excitata est, paulopost cumulatè respondebit.

IOANNES COGNOMENTO BLANCVS E familia Ordinis Carmelitani.

IOannes cognomento Blancus natus est Florentiæ bonis parentibus; & in familia Carmelitanæ Religionis florentibus annis nobilissimas artes edoctus tantum melioris doctrinæ ingenii magnitudine collegit, vt, dum cœtum suorum gregaliũ illustrat, se ipsum multa laude locupletarit. Philosophiam Peripateticorum secutus, dictu mirum est, quàm in ea euaserit eximius, & quàm ad omnes Aristotelis sensus acutè penetrarit. In rebus tamen sacris, quas vitæ institutio flagitabat, mirus omnino apparuit, & doctissimus. Habendis igitur concionibus dum dat operam, nemini fuit dubium, quin summam expectationem, quam summa virtus excitarat, admirabili doctrina superaret, & iudicio doctissimorum virorum responderet. Concionatus est Florentiæ magno hominum concursu, quem admirabilis doctrina, & summa eloquentia concitarat; & cùm quotidie magis dicendi artificia augeret, vt hominum numerus concionarius amplior esset, facilè efficerat. Ad res deinde maiores honeris gradus factus est; Patauium enim vocatus, in concursu doctissimorum hominum concionatus est admirabili frequentia; ornarat ille se nobilissimis disciplinis, vt cuiuis, & quouis etiam tempore, rebus grauissimis propositis, posset satisfacere. Summæ doctrinæ probitas admirabilis comitata est; magno ingenio ita iuncta fuit singularis industria, vt eloquentiam vsquequaq; perfectam, & absolutam efficerent. Hoc nomine Romam euocatus mandato Syxti Quarti, Pontificis Max. concionatus est in Diui Petri tẽplo, concurrentibus Cardinalibus auditum, aliisq; viris amplissimis; quorum ille frequentiam ita excipere solitus est, vt, cùm variis dicendi artificiis oblectaret vtiliter, doceret grauiter,

uiter, ad extremum homines benè commotos ad virtutem,atque inflammatos dimitteret. Magno apud eum erant in precio disciplinæ, sed probitati tribuebat omnia; quanti esset obsequium, quo deberet vnusquisq; Deo inseruire, ita agitabat,vt nihil esset ei melius, neque antiquius.Itaq; cùm se conficeret ieiuniis, vigiliis,perpetuisq; precibus, tam mirus morum sanctissimorum secutus est rumor, vt complures viri insignes vestitum Carmelitanę Religionis induerent,atque eius vitam plenam laudis, & probitatis firmo animo in se exprimerent. Multa igitur commoda huic collegio delata sunt; quę & viri clarissimi virtutem, atq; eorum,qui eius ductum sequebantur, pietatem declarant. Docuit ille tamen, sed florente ætate, professusq; est in publico Senarum gymnasio nobiles disciplinas per triennium; quo ille tempore & multos iuuit,& famam sui nominis doctissimis lucubrationibus auxit. Anno pręterea CIↃ. CCCCLXXII. cùm Resp. Florentina gymnasium Pisanum repetendum esse iudicaret,inuitatus Ioannes docendi munus honestissimum suscepit; annisq; septem, & viginti publicè clarissimas artes in ea vrbe, quò tota ex Italia nobilium iuuenum amplissimus numerus concurrebat, honorificentissimè professus est. Vel exiguus annorum numerus in eo viro, qui esset doctissimus, fuisset satis, si id, quod fit maximè probandum, sequi volumus; nunc verò rem ipsam amplissimi temporis spatium ita probat, vt Blancum admiremur iure optimo, & doctissimis cum viris numerandum esse arbitremur. Vir mirus, & experiens pati otium non poterat; & is,qui tam multis rebus, eisq; præclaris se ornarat, tacitè, vt suæ vim virtutis promeret in medium, præcipuo quodam modo flagitabat. Res multas ille controuersas, vt discentes iuuaret, sæpè proposuit, quæ ad subtilem quandam differendi rationem pertinerent; quas tamen magno ingenio soluit, & studiosos huiusmodi rerum magnis commodis affecit. Carmelitanæ Religioni tributum est præcipuè publicis in gymnasiis, vt disceptationibus logicis commodis publicis inseruiat, & iuuenum nobilium animos ad disciplinas egregias erudiat. Quam rem hoc longissimo tempore pręstitit Blancus commodè, & nauiter; eorum enim magnus numerus,qui se illi in disciplinam tradiderunt, indicio est,quàm magnæ vir fuerit doctrinæ,& quàm vtiliter optimas artes docendo publicè profiteretur. Neque enim Respub. eius opera tam diu vti voluisset,nisi eiusdem doctrinā admirabilem, & egregiam cognouisset; pręterea publicis in locis nihil agitur obscurè, aut temerè; cùm virtus viri clarissimi eo pacto enituerit, vt res nulla omnino nec clarior esse potuerit, nec testatior. Iam verò quoties opus fuit,grauibus in negotiis versatus est, vt suę Religioni inseruiret; inuisit enim summa cum auctoritate cùm AEmiliam, tum etiam Flaminiam; quibus in regionibus magnus sui collegii Ecclesiarum numerus reperitur. Quas ille sic adiuit, vt gregales sui prudentiam agnoscerent, gens omnis præte-

rea

rea pietatem laudare non desisteret. Inuisit preterea vtriusq; Siciliæ sui Ordinis Ecclesias eadem cum auctoritate; etenim cùm centum quadraginta sex Ecclesiæ Carmelitani ordinis in Sicilia censeantur, propter negotii magnitudinem tota regio duas in partes diuisa est; quarum altera dicitur Diui Alberti, altera Diui Angeli; quam tamen totam sic obiuit Blancus, ita industriè occupationem laboris pænè immensi confecit, vt summa virtus summa cum probitate coniuncta difficultates omnes conuelleret, & prouinciam suo in discessu confectam egregiè, pacatamque vsquequaq; relinqueret. Siculorum sanctissimorum fama totam insulam peragrarat. Diuus enim Angelus, Diuusq; Albertus Carmelitani Ordinis in Diuorum numerum relati, multiq; alii vita sanctissima insignes, tantum dignitatis ad hanc Religionem augendam attulerunt, vt in Sicilia mirandum in modum augeretur eius auctoritas, virisq; optimis abundans, vt supra dixi, centum quadraginta sex Ecclesiarum numerum conficeret. Erant Ecclesię, vt earum conditio nunc etiam manet sacris hominibus frequentes; vt tam magna in insula locus nullus sit, qui vim huius sanctissimę Religionis non sentiat, & probitatem non experiatur. Abundat hic ordo Carmelitanus viris doctis; à probitate diues est; annisq; nongentis vniuersam Dei Ecclesiam perpetuò iuuat, & colit. Celebratur Diui Alberti Drepanensis sanctitas omnium vocibus, quæ præterea plurimis miraculis insignis vitam totam viri sanctissimi illustrat. Quę Missa eius causa esset celebranda, postea quàm has carnis exuuias reliquerat, cùm à populo, tum etiam à viris religiosis ambigebatur. Cùm populus pro Confessore, Clerus verò pro defuncto celebrandam esse Missam arbitraretur, Episcopus Mamertinus, vir sanctissimus, expectandum esse monuit, si qua vis numinis è cœlo, quid esset agendum, indicaret. Cunctis igitur piis precibus orantibus, duo Angeli albis vestibus induti apparuerunt subitò, & Missam, Os iusti meditrabitur sapientiam; de sancto Confessore voce cœlesti celebrandam esse indicarunt. Qua celebrata solenniter, sacrorum virorum stupentibus animis, sanctissimum illud corpus honorificentissimè conditum est. Blancus igitur, cùm expeteretur præterea Pontificis Max. auctoritas, vna cum Christophoro Martignono, totius Ordinis Generali, curauit summo studio, vt Pontifex Sixtus Quartus, de more Ecclesiæ Albertum in Diuorum numerum referret. Confectum est negotium Blanci singulari industria, summoque labore, nec rem dimisit ante, cùm diu tentasset omnia patienter, quàm, victis difficultatibus, quod petebatur, ad exitum perduxit. Honorem Prouincialis delatum gessit magna cum innocentia, & probitate per biennium; qui vt alios ad virtutem commoueret, se ipsum ita præstitit, vt sibi laudem, cęteris, quos regendos susceperat, maxima commoda impertiret. Nauauit præterea operam Raffaeli Riario, Cardinali Archiep. Pisarum, functusq; apud eum theologi mune-

re

re magno honore à viro clarissimo tractatus est, magnisq; negotiis conficiendis salutariter adhibitus. Ad extremum animo multum, & corpore fatigatus Florentiæ mortem obiit, anno ætatis suæ sexagesimo. CIↃ. CCCCLXXXXIX. Reliquit scripta luculenta profectò, atque eximia, præcipuè in totius logicæ supellectilis dictionem; in octo libros Aristotelis Phisicorum; quæ si quandoq; promulgentur, & summam doctrinam, & ingenii magnitudinem indicabunt. Leguntur etiam scripta in duodecim Methaphisicorum libros; qui à viris doctissimis probati magnis pro merito laudibus celebrantur. Extant præterea Commentaria super Regulis Hentisberi magno studio itidem elucubrata. Hæc scripta omnia Romę in bibliotheca Carmelitana conseruantur. Vir profectò insignis sibi ipsi admirandis lucubrationibus præluxit; qui eò clarissimis artibus prouectus est, vt nullo tempore eius virtus his memoriæ monimentis obscura esse possit. Ab iis, quibus mores vnà cum doctrina noti fuerunt, meritis laudibus afficitur; ab illis verò, qui ab eo mores, & doctrinam didicerunt, marmoreo sepulchro, quod Florentiæ in Carmelitana Ecclesia visitur, amplissimè decoratus est vnà cum effigie, insigniq; hoc epithaphio.

Soriten celeber Chrysippi euoluere; pugnas
Soluere Zenonis, quodq; dolosus habet.
Frigidulo en Albus moriens sub marmore clausus;
Quanta est heu logicis facta ruina viris.

CHIRIACVS STROZZIVS.

Chiriacus Strozzius, vir egregiis artibus eminentissimus, sublimi præditus ingenio natus est Florentię nobilibus parentibus. Hic studio assiduo, perpetuoq; cùm latina lingua, gręcisq; literis, tum disciplinis egregiis ediscendis tantopere profecit, vt cunctos sui seculi viros doctos vel doctrina æquasse, vel superasse ingenio existimetur. Literis tamen Græcis eo pacto operam dedit, vt difficultates subegerit omnes, atque in omnes omnium vocum recessus subtiliter penetrarit. Perspecta est ingenii magnitudo vel primis ætatis temporibus; quippe qui non expectato præsidio persæpè pręceptoris vocem ingenii acumine anteire, & se, vel nemine admonente, solitus esset incitare. Cùm se satis græcis literis, optimisq; auctoribus euoluendis exornasset, vocatu summorum virorum Bononiam se contulit, vt ibi græcas literas, & philosophiam superiore è loco profiteretur, & iuuentutem ad sapientiam erudiret. Octo ille annos huius oneris causa ibi mansit magna cum laude, suoq; insigni cum emolumento; donec Cosmi, Magni Ducis Etruriæ literis inuitatus venit Florentiam, vt publico in gymnasio Pisis itidem doctrinam profiteretur. Id ipsum vir doctissimus, vt cupiebat vir princeps, ità pręstitit,

tit, vt, cùm ceteros homines ingenio anteiret, & publico gymnasio decus,& laudem,sibi maximam pepererit. Magno erat apud Cosmum in honore Chiriacus,multasq; cum eo horas de rebus grauibus consumere solitus erat. Admirabatur in eo vir princeps cùm ingenii magnitudinem, tum rerum pænè omnium scientiam; philosophia cunctis rebus insignis apparebat; itaq; vt sibi ipsi prodesset, architecturæ studium, agri cultum ita ad suos mores admittere solitus erat,nō dicam, vt grauitatem suarum cogitationum minueret, sed vt ex parte aliqua mollioribus studiis respergeret. Pręter ceteros, qui eum audire consueuerant, præcipuè nominatur Cardinalis Columna, Cardinalis Vrsinus,Cardinalis Alciatus; Ludouicus Antinorius, Archiepiscopus Pisarum, Pyrrhus Strozzius, Petrus Oricellarius, Baccius Valorius, Franciscus Bonamicus, Petrus Angelius. Qui omnes meri doctrinæ principes viam magistri persecuti & sibi ipsis mirandum in modum profuerunt,& eum, à quo sunt docti, egregiè illustrarunt. Spectauit ille minimè res mediocres, aut humiles, sed magnas,& insignes; &,cùm esset elata mente, nobilibus auctoribus mirabiliter delectatus est. Duos illos viros summos veteris Gręcię Platonem,inquam,& Aristotelem sibi præcipuè proponens tam magno eorum libros habuit in precio, vt, ceteris omnibus posthabitis, præter ceteros admiraretur, edisceret,& coleret. Cùm esset magno ingenio, & res magnas spectaret sua sponte,quicquid in his duobus auctoribus continetur,quo virtus præcipuè conficitur,ita a lamauit, ita, vt exprimeret, cunctis viribus studuit, vt adhibita vel incredibili patientia, quod sibi erat in optatis,tandem aliquando assequeretur. Vsq; eò progressus est discendo, sententiisq; perpendendis vtriusq; tam egregiè profecit, vt, dum quicquid esset in vtroq; maximè cognosceret, factus inter eos quodammodo arbiter quandoq; pronuntiarit, cùm vterq; idem in philosophia propositum vrgeret, vt vna mente consentire in vnam sentētiam facile possent; ea ratione tamen, vt Plato Aristoteles dissipatus, Arist. autem Plato benè ordinatus posset appellari. Id ipsum nō verbis tantum,sed re ipsa, multisq; rationibus ostendit: qui ab ingenio acer, à doctrina copiosus è superiore loco persæpè docuit, summos illos viros non solū non dissentire inter se, sed maximè concordare; peregregiumq; philosophiæ corpus,si quis diligētius paulò attēdat, confici posse arbitratus est. Nemo profectò neq; ex nostri tēporis hominibus, neque ex iis,qui ante fuerunt,inuētus est, qui magis verè,magisq; sapiēter ad intimos Platonis sensus, & Aristotelis penetrarit,scriptisq; id ipsum,& voce ostēderit. Callebat ipse res,quæ alios fugiunt; habebat etiā cognitas,quas mente ceteri non assequuntur. Si quid incideret difficultatis in iis,quos nominaui, auctoribus,adibant ad eum viri doctissimi, & quid ipse sentiret, requirebant; quos ille & benè à se doctos, & sui voti compotes dimittebat. Multum ille præceptis in Peripateticis versatus magnos in

ea philosophia habebat progressus, magnos quotidie fructus, atque vberes colligebat. Quamobrem cùm Aristotelis Politicorum libros accuratè euolueret, animaduertit (qua erat ille ingenii magnitudine) deesse aliquid illi operi, quod vir ille summus vel morbo impeditus, vel morte denique interpellatus inchoatum, non perfectum reliquerat. Quod igitur deesse videbatur, duobus libris à se elucubratis græca lingua, vt essent decem, opus octo librorum Aristotelis suppleuit; qui, simul atque promulgati sunt, tam magnæ fuerunt admirationi cùm doctis hominibus, tum etiam ingeniosis; vt cùm Chiriacum verbis amplissimis commendarent, cum viris clarissimis æquandum esse omnino iudicarent. Qui doctrinam Aristotelis sequi, quiq; eius dogmata profiteri soliti sunt, legebant nobiles lucubrationes stupentibus animis, simul atque in publicum prodierunt. Franciscus Robertellus, & Carolus Sigonius, qui tum literas humaniores, vterque alteri æmulantes, Patauii profitebantur, his libris lectis, ita sunt admirati, vt nihil vidisse maius, nec melius suo seculo faterentur. Quid? media in Græcia nati, vt in Michaele Sophiano contigit, multisq; aliis, cùm hos libros legissent, ita cum admiratione laudarunt, vt re ipsa admoniti hunc ipsum virum Græcis suis, viris doctissimis equarent. Hos libros è græco in linguam Gallicam conuertit Federicus Morellus, Professor Regius Lutetię, magnisq; eos laudibus persæpè extulit. A familiari suo quodam fertur Chiriacum esse admonitum, quod suus stylus Aristotelis stylo dissimilis esset, cùm sententiis poetarum, quod ille non facit, nimis sæpè abundet. Ad quem conuersus, & ridens respondit Chiriacus; id ego de industria feci, vt mei ipsius, non Aristotelis libri nominentur. Clementis prçterea Alexandrini stromata florentibus annis è gręco in latinum conuertit; reliquit nonnulla scripta in quattuor Ethicorum libros; vt in librum tertium de temperantia; in quinctum librum de iustitia, & iure; in octauum de amicitia; in decimum denique de felicitate, quæ sapientia comparatur. Plurima scripsit prçterea, quæ simulatque mortuus est, furtim sublata studiosos optimarum artium molesto desiderio afficiunt. Affirmat ipse in epistola quadam ad Petrum Oricellarium, velle se has lucubrationes, si vita suppeditet, promulgare, vt publico viui inseruiant. Obiit Pisis animo ad pietatem benè confirmato, anno tertio, & sexagesimo suç ætatis, cùm diu morbo è renibus laborasset. Eius corpus Florentiam deportatum in templo Diuæ Mariæ Nouellæ in sepulchro cōditum est, quod Roscius Strozzius ab hinc annos amplius CCC. extruendum curauit. Viri doctrina insignes non desunt, qui virum hunc miris efferant laudibus, vt Petrus Bembus, Benedictus Varchius, Piccolomineus, Claudius Tholomeus Senenses, Iacobus Sadoletus, Flaminius Nobilius, Annibal Carus, Petrus Fonseca, Antonius Angelius, Petrus Victorius, Theodorus Zuuingerus, Petrus Poissoneus, Regis Galliæ Consiliarius, Paulus

Minius. Hęc tamen scripta, quę apparent, & quæ omnium manibus teruntur, & summam laudem secum ferunt, & consimilia, quæ inuidiosissimo furto desiderantur, hominem fuisse insignem, & sapientissimum ostendunt.

ALAMANNVS RINVCCINIVS.

ACerrimi vir ingenii fuit Alamannus Rinuccinius; qui natus Florentię nobilissimo genere, optimis artibus tam valde suum animum excoluit, vt se vsquequaq; continenti studio clarissimum effecerit. Vel primis annis suæ ętatis quantæ virtutis vir futurus esset, indicauit; delectis enim nobilissimis auctoribus, quibus se exornaret, in eis ediscendis nihil leue, aut puerile sapere visus est. Sed quò vim cupiditatis egregiè melius expleret, dum se corroborat, & præsidio firmatæ ætatis res grauiores aggredi potest, contigit tunc, vt Græci, viri doctissimi suam patriam à Turcis euersam fugientes, quasi in portum tranquillitatis, & salutis, Florentiam venirent. In his fuit Ioannes Argytopilus, multa doctrina vir clarissimus; huic Alamannus (dederat enim se ille ad docendum) operam dedit studiosè, & frequenter; atque eo pacto ab illo tam multa didicit, vt græcis literis benè erudito additus animus sit, quò grauiores disciplinas aggrederetur. Cùm multis igitur literis, multoq; vsu tractandæ Reipub. vir valde experiens, & grauissimus euasisset, non defuit, cùm rogaretur à patria, quin suas ingenii uires communis vtilitatis causa explicaret. Vsus igitur ciuilium negotiorum, & nobilium artium scientia permultum in eo auctoritatis addiderunt; atque ex his rebus duabus in eo splendor eiusmodi conflatus est, vt domi, forisq; egregiè operam Reipub. nauaret, multorumq; in se beneuolentiam assequeretur. Fideliter nostrę Reipub. summa cum fide inseruiuit, &, quantum valeret ingenio, grauissimis in rebus sępisimè ostendit. Eodem ferè tēpore cùm optimis artibus operam daret, & grauioris doctrinę perpetuo studio libros euolueret, admirabili industria factum est, cùm res duas præcipuo quodam modo sequeretur, vt neutra esset alteri impedimento, sed vtraq; in vno viro opus omnium maximè egregium efficeret. Doctissimis literarum occupationibus districtus, non deerat tamen interea grauibus negotiis Reipub. Quamobrem cùm esset cordi cura publici gymnasii, cuperetque nostra patria, vt cùm Pisis, tum etiam Florentię hoc literarum negotium institueretur melius, atquè homines, qui discendi causa cunctis ex locis ad nos venirent, haberent tradendis in disciplinis, quod expeterent, delecti sunt publico consilio nonnulli viri, qui hanc rem grauissimam susciperent, &, quod deesse videbatur, doctrina, & moribus explerent: in his viris fuit magna cum auctoritate Alamannus; vt qui sibi in optimis artibus percipiendis tam vtiliter, aliorum

expediendis vtilitatibus satageret,& publicis commodis sedulò inseruiret. Id ea ratione actum est,vt ab omnibus iniret gratiam Alamannus, summoq; ei honori hæc cura potissimùm esset. Qua vigilantia in hoc negotio sese gesserit,vel ex hoc intelligi potest,cùm id,quod constitutum est,ratum sit etiam nunc,maximeq; vtilitatis causa obseruetur.Reliquit lucubrationes perutiles, & doctissimas, quas nostra ætas admiratur, & monimenta summi ingenii libenter agnoscit. Leguntur octo libri Philostrati de vita Apollonii Tianei; quos è græco latinos fecit tam secundis omnium auribus, vt nihil fieri doctius possit, nec elegantius. Satis commodè hæc opera posita est, summusq; labor feliciter successit primùm; typis enim ab Aldo Venetiis excusus cupidissimè exceptus est, doctorumq; omnium voluntati deinde egregiè respondit.M. Crassi, & Niciæ Atheniensis vitas Plutarchi è græco in latinum conuertit, quas nomini Petri Medicis dicauit. Indicant hæ lucubrationes,quàm magno ingenio vir summus præditus esset, & quàm multos in literis græcis, & latinis progressus sit adeptus. Præterea literas M. Bruti,atque Hippocratis è græca in latinam linguam itidem conuertit, quas ad Nicolaum Quinctum, Pontificem Max. misit; quæ gratæ viris doctis Alamanni ingenium non mediocri laude extulerũt. Librum Plutarchi eodem modo in latinum è græco vertit, qui de claris mulieribus inscribitur; qui liber profectò ingeniosè translatus famam auxit viri doctissimi,& nunc quanta industria præditus esset, singulis horis præcipuè testatur. Scripsit etiam Alamannus vitam Iannotii Manetti accuratè,& scienter; hominis enim clarissimi ingenium admirans, & doctrinam, præteriri à se summam virtutem silentio noluit; qui iisdem vestigiis insistens multis rebus gestis in Rep. sine liuore eandem gloriam bonis artibus quærebat. Præter ea, quæ typis sunt impressa,nonnulla alia summa cura hic in bibliotheca Diui Laurentii conseruantur; cuncta verò opera Alamanni visuntur Cesenę in bibliotheca patrum Diui Francisci. Mortuus est Florentiæ magno omnium cum dolore, & peramplis exequiis in templo Diuę Crucis funeratus, in Sacello suæ familiæ picturis Thaddæi Gaddii, pictoris insignis exornato, quod est in Sacrario, sepultus est. Anno CIↃ. IↃ. IIII.

IANNOTIVS MANETTVS.

IAnnotius Manettus, ciuis Reipub. Florentinæ admirabilis, idemq; nobilibus literis insignis, in re vtraq; ita ad laudem versare ingenium didicit, vt sibi ipsi decus, patriæ verò parere multa commoda solitus sit. Ad virtutem in se ipso exprimendam paratus nemo magis fuit; qui initio ętatis patris sui iussis parere coactus,vix peractis decem annis,nec dum crepundiis dimissis, mercaturę operam dedit; tantumq;

in ea temporis consumpsit, vt ante quinctum, & vigesimum attingeret annum, quàm suæ, vt cupiebat, morem gereret voluntati. Cùm primùm ei licitum est, vt suo, non alieno more viueret, dictu incredibile est, quàm se virum admirabilem, & præstantissimum effecerit. Quòd magis diu quàm vellet, negotiis mercatoriis teneretur implicatus, ita doluit, vt hęc temporis iactura incredibili vigilantia deinde compensaretur. Multis igitur literis cùm græcis, & latinis, tum etiam Hebraicis edoctus (dederat enim summis viris operam) statuit è medio excedere, locisq; publicis sibi interdicere. Vt se igitur posset disciplinis nobilissimis explere, per annos nouem caruit foro, caruit congressu ceterorum hominum; conditusq; domi suæ in mentis altitudinem, exceptis eis tantum horis (erat enim nostrę religiosę consuetudinis retinentissimus) quibus rebus sacris daret operam, perpetuis optimarum artium meditationibus hoc toto tempore tam continenti studio se exercuit, vt alium à natura Iannotium, alium à sua ipsius industria factum esse diceres. Magno ille, firmoq; animo bellum otio indixit; sensim enim post nouem annos, quo tempore se domi suæ variis, copiosisq; doctrinis exornauit, ex vmbra in Solem, ex solitudine venit in hominum congressum, &, quantum profecerit suo Marte, se tantum sibi ipsi auctore, patefecit. Periclitatis igitur ingenii viribus, eisq; summorum hominum iudicio probatis, quod discendo assiduè collegerat, cœpit liberaliter impertire, communicare cum multis, atq; ex suis diuitiis aliorum inopiam sustentare. Ingenium gręcis, hebraicis, & latinis literis benè subactum facilè quid vis aggredi, & conficere poterat; doctrina pręterea Peripateticorum, quam erat toto pectore complexus, vt magno esset animo in rebus disceptandis, faciebat; memoria erat tanta, vt vel multa exiguo tempore notata fideliter redderet, & cupiditati hominis vel ingeniosissimi opportunè responderet. Hac tanta indole inuitati nostrę ciuitatis nobilissimi viri petierunt ab Iannotio, vt, cùm tam multa didicisset, aliquid sibi tam singularis doctrinæ impertiret. More igitur præceptoris, & philosophi interpretatus est libros Ethicorum Aristotelis: concurrentibus auditum Angelo Acciaiolio, Antonio Barbadorio, Alexandro Arrighio, Benedicto Strozzio, multisq; aliis ex Florentina nobilitate, cuius rogatu rem potissimùm susceperat. Hęc liberalis animi inductio ingeniosè, & doctè explicata, & eiusium sibi animos deuinxit, & quàm multa doctrina præditus esset, indicauit. Cùm arderet desiderio, vt moliretur semper aliquid, & suorum ciuium emolumentis inseruiret, verba fecit frequenti in Senatu, & quonam pacto vnusquisque, quoties esset in magistratu, & ius diceret, se gerere deberet, copiosè disseruit, & sapienter; & quid de hac re tota sentiret, duabus orationibus testatus est. Cœpit igitur haberi in honore ab omnibus, grauibusq; rebus conficiendis adhiberi. Quamobrem missus Genuam, vt inter Genuenses, & Venetos nostra cum Repub. fœ-

dus

dus feriretur,tam nobili artificio vſus eſt,vt rem ex ſententia conficeret, & cunctis,quorum res agebatur,ſatisfaceret. Miſſus iterum ad Alphonſum Neapolis Regem, qui tunc erat in agro Piceno, vt contra Franciſcum Sfortium fieret fœdus ab noſtra Repub.cum eo,& Pontifice Max. Eugenio,induſtriè Iannotius,& ſapienter negotium peregit,& cuius rei cauſa miſſus erat,cumulatè obtinuit. Fuit in cauſa Iannotius,cùm magnis de rebus negotiaretur patriæ ſuæ nomine cum Alphonſo Rege, & Philippo Duce Vicecomite, vt Pontifex Max. quod bello amiſerat, ſummi viri induſtria recuperaret. Legauit eum noſtra patria deinde Senas grauibus de rebus; atque itidem Venetias, vt hominum animos earum ciuitatum Reipub. noſtræ amicos redderet,atque ad ſocietatem communis ſalutis conſeruandæ cauſa hortaretur. Venerat prætetea in Italiam Federicus Imperator; hunc ipſum,qui exciperent ab noſtra Repub.XX. viri obuiam ſplendidis veſtibus induti miſſi ſunt; in quibus fuit Iannotius, qui patrię ſuæ nomine eum præcipuè appellaret, & oratione quàm maximè ad illius aduentum opportuna alloqueretur. Non defuit huic officio Iannotius, hominemq; verbis ampliſsimis excipiens rem ipſam eo pacto perſecutus eſt,vt dum laudem ſummi oratoris ſibi parit,locum gratiæ magnis artificiis aperiret. Cùm vitam omnem huius viri clariſſimi conſidero ſediſſe, vt de Pericle memoriæ proditum eſt, vis quędam mira perſuadendi in eius labris, aut in animo potius videtur; quæ & obtinere, quod petebat,& opportunis artificiis extorquere conſueuerat. Factum eſt periculum tunc,quo tempore Pontifex Eugenius erat Florentię. Accidit igitur, vt vir quidam militaris nomine Baldaccius ab Angiario, qui Florentinis in re militari operam nauarat, Pontificis ſtipendiis ſe addiceret; cuius fides, quò magis eſſet explorata, octo millibus aureis hominem ſibi Pontifex obſtrinxit. Venit res ad aures ſenatorum itemq; Dictatoris, qui erat Bartholomæus Orlandinus; cunctiſq; prę ira impotenti vehementer frementibus, ſtatuunt,quàm occultiſſimè, vt tollerent hominem è medio,& perfidiam ſummi ſceleris punirent.Cùm eſſet frequens ſenatus, vocatu Dictatoris venit in palatium Baldaccius; qui, vt erat conſtitum,ſubitò arreptus, è feneſtra in plateam præcipitatus eſt, iuſſuq; Dictatoris pręciſum caput, veſtituq; detracto nudus, vt ſummę vir perfidiæ,per plateam ignominiæ cauſa raptatus eſt. E veſtigio Pontifex miſit in Palatium, qui quereretur, ſummamq; iniuriam ſuo nomini factam eſſe diceret, plenuſq; irarum tam magnum facinus vindicaturum eſſe denuntiaret. Dictator, cunctuſq; ſenatus mandant ſubitò Iannotio ſummis precibus, vt adeat Pontificem, rem actam ſummo iure oſtendat,iracundiam commoti hominis minuat,atque animum alienatum quàm molliſſimis artificiis Reipub. reſtituat. Rem duram Iannotius aggreditur; ſed (quo erat pręditus ingenio) ad id, de quo quęrebatur Pontifex, reſpondit tam appoſitè, tam humaniter, multis addu

ctis

ctis rationibus ita hominem commouit, vt non ante dimiserit, quàm rem ex sui animi sententia obtinuit. In quo se lęsum esse Pontifex querebatur, nihil omisit; tam sapienter eius offensionibus occurrit, vt, multis rebus commemorandis, exulceratum animum sanauerit, &, quod erat in optatis, suę Reipub. restituerit. Profectus præterea Romam ad eundem Eugenium, Pontificem Max. ab eo singulari cum beneuolentia exceptus est: eum enim, cuius ille ingenium Florentinæ benè cognouerat, magno habebat in honore. Voluit igitur, vt apud se in palatio habitaret, atque, vt in summis viris mos est, vt singulis diebus præberentur ei lautia. Commoratus est Romæ tam diu, donec mortuo Pontifice, ventum est ad interregnum. Proximis igitur sacris comitiis interfuit, cùm Thomas à Sarezena Pontifex Max. renuntiatus est, magna omnium lætitia, qui Nicolaus Quinctus appellatus est. Hic minori in gradu dignitatis cùm esset Florentiæ, atq; aliò iter haberet, inuisereturq; ab Iannotio, honoris causa in eo dimittendo, cùm multum illi tribueret, cunctis, qui aderant, mirantibus, dixit; nolite mirari, viri honestissimi, cur ego huic viro summo tantum tribuam; quia cùm Romæ ad Eugenium legatus esset, audiui ex Pontifice, atque itidem à viris amplissimis virtutem Iannotii esse eiusmodi, vt vir supra Reipub. Florentinæ dignitatem Romana Repub. ciuis dignus esset, cùm ea orbis terrę imperio potiretur. Creatus igitur Pontifex non necesse habuit, vt quibus esset præditus virtutibus Iannotius, aliquis narraret; qui multis antea rebus & à viris grauissimis didicerat, & per se, cùm adesset, viri amplissimi ingenium cognouerat. Hoc nomine arcanis consiliis admissus est; datumq; ei munus à scribendis literis: multisq; verbis, vt tanto oneri inseruiret, honorificentissimè admonitus. Non multum intercesserat temporis, cùm ei suorum ciuium nomine nuntiatum est, vt nulla interposita mora Florentiam rediret; aliter si faceret, eum contra Rempub. esse facturum. Erat enim rumor dissipatus, cùm esset in intimis Pontificis Max. maximisq; conficiendis negotiis præsideret (obierat enim vxor) vt in collegium Cardinalium cooptaretur; atque, id ne contingeret, nonnullorum iniquitate reuocatus est. Is igitur, simulatque rediit Florentiam, Pistorii prætura decoratus est; paulòq; post Romam missus legatus ad Nicolaum Pontificem, vt ei sacrosanctam dignitatem gratularetur, non fuit sui dissimilis Iannotius, qui luculenta oratione Pontificem allocutus & in eis, qui venerant auditum, admirationem commouit, & cumulatè suo muneri respondit. Discesserat Florentia cum eo, dum iret Romam, splendidissimus virorum illustrium comitatus; Angelus Acciaiolius, Iannotius Pitthius, Alexander Alexandrius, Verius Capponius, Petrus Medices; quibus mandatum erat, vt, peracto munere legati, quam rem præstiterunt, Manettum Florentiam reducerent. Sed cùm perorasset Iannotius, facere non potuit Pontifex, quin ad legatos ceteros conuersus

uersus verba hæc expromeret. Quod vobis, viri Florentini, benè vertat, vestræq; Reipub. sit fœlix, habetis virum, Manettum digito ostendens, qui multis nominibus de vestris publicis negotiis benemeritus omnium merita potissimùm iam vicit. Agite secum, vt vos decet, &, quoad eius fieri potest, eius virtutem admirabilem diligite. Sed quid ego toties oratorem, toties legatum ad viros clarissimos missum esse refero, cùm satis constet, nouem legationes, & viginti suæ Reipub. causa obiisse, maximisq; negotiis confectis effecisse, vt suam ipse patriam, cui mul tum deberet, permultis sibi laboribus obstringeret? Multis igitur rebus gestis publico consilio decreta est illi statua marmorea, cùm fabricando ædificio principis templi magna cum auctoritate præsideret: hæc nunc statua visitur hoc eodem in templo, quæ cùm virtutem viri clarissimi ostendit, tum eius familiam hoc nobili testimonio illustrat. Quid ego in rebus controuersis experitum eius consilium à summis viris verbis pluribus enarrem? quid de prudentia dicam, qua, sumpto pacificatoris nomine (vt in Sigismundo Malatesta, & Duce Vrbinate contigit) principes viros inter se dissidentes vera amicitia coniunxit? Angustię, quibus elogiorum ratio concluditur, non capiunt, quantum suæ virtutis magnitudine vir summus præstitit. Res igitur, ne sim longior, perstringam breuiter, &, quę multa sunt, verbis paucis concludam. Vsurpabatur eo tempore mos laudabilis in primis; quoties vir princeps, & nobilis conuiuio accipiebatur, conuiuio peracto, quæstio aliqua, quæ ad doctrinas pertineret, pręcipuè proponebatur, quæ conuiuas animi causa oblectaret, ingenia exerceret. Cùm esset igitur Arimini Iannotius ab Repub. publicis de rebus eò missus, domiq; Sigismundi diuersaretur, vt eum stipendiis nostræ Reipub. illigaret, multusq; sermo de perfidia Hebręorum habitus esset, permultos Sigismundus optimarum artium peritos splendido conuiuio accepit, cunctosq; eius regionis Hebręos inuitauit. Remotis epulis, diuturna, atq; insignis orta est disputatio inter Hebręos, & Iannotiũ. Permulti erant ab Iannotio notati loci, quibus Hebręi animorũ suorum perfidiam, deprauatis sacræ scripturæ sensibus, tueri soliti sunt. His omnibus Iannotius, qui magnos in lingua Hebraica progressus habebat, cùm proponerentur, ita se scienter opposuit, ita rationes multas nostrę pietatis confirmandæ causa congessit, vt omnium iudicio victa Hebręorum causa, damnataq; perfidia, summa laus iure optimo summo viro tribueretur. Victis Hebręorum argumentis, crebrò vsurpabat Iannotius; date mihi, Hebręi, vestra arma, quibus, quicquid proponitis, confodiam; vt iam pudeat, homines ratione vtentes tanta laborare inscitia, vt lumen cæcata malitia non videant, & cogitationibus deprauatis obstinatissimè tabescant. Erat præterea Florentiæ Regis Britanniæ legatus, multa doctrina vir insignis; hic nostræ vrbis literatos, Iannotiumq; in primis apparatissimo conuiuio accepit; de multis, va-

aliisq; rebus frequens fit sermo ;sed cunctos in se(remotæ enim erant epu læ)Iannotius conuertit ; qui vt eloquentia erat acer, sacrisq; euoluendis libris doctissimus euaserat, probare nitebatur, atq; id re ipsa præstitit, res cũctas diuinę scripturę ita esse veras, ita certas, vt ea, quę nobis verissima, certissimaq; sunt; atq; id cùm multis verbis copiosè, multisq; rationibus sapienter egisset, nec quisquam (aderant enim complures literati) contra hiscere auderet, illustris eloquentiæ Iannotius eo die, atque admirabilis scientię laudem tulit. Fuit præterea Iannotius scriptor duobus Maximis Pontificibus scribendis literis à secretis, Nicolao V. & Pio Secundo ; in quo munere nauauit operam fideliter ; præter hos coluit Eugenium , & Calistum ; cunctisq; ita inseruiuit, vt patriæ potissimum prodesset, multamq; sibi gloriam cõpararet. Præstò illi erant, more doctissimorũ virorũ scriptores tres, qui, quod ille erat cõmentatus, subitò exciperẽt, scriptisq; suis diligenter conseruarent. A Pio Secundo tradita cura est Iannotio librorum digerendorum bibliothecę Vaticanę ; vt qui multum didicerat, multisq; literis se exornarat, summorũ virorũ monimẽta tueretur libenter, & studiosè conseruaret. Sed vt magnis viris magnis in Rebus publicis cõtingit, vt Aristidi, atq; Alcibiadi Athenis, Asiatico, atque Africano Scipionibus Romæ, ita Iannotio Florentiæ euenit ; etenim (quæ res tam magno viro debebat esse gloriæ tã multis rebus gestis) summa cum viris principibus familiaritas vehementer illi fuit fraudi. Non placebat Florentiæ quibusdam angusti animi viris tam grandis in suo ciue vitę splendor ; quamobrẽ minuendũ hominem, & premendum nimis exultantem Florentinis legibus decernunt. Decorarat Nicolaus Pont. Iannotiũ equestri dignitate, magnoq; eũ Romę habebat in honore; quãobrem reuocatus Florentiam concluditur Iannotius domi , seuereq; publico consilio edicitur, vt multa proposita decem millium aureorum , careat publico ; domiq; se contineat. Mulctatus ille tamen est grauiter ; atq; à suis iniquissimè tractatus Romam se contulit , deinde vnà cum liberis Neapolim ad Alphonsum Regem; à quo singulis annis maximo congiario donatus quicquid erat vitæ reliquum, consumpsit , & Neapoli tertium , & sexagesimum annum agens mortuus est. Nunc si vitam viri clarissimi totam excutias, & toties magna negotia, toties legationem obeuntem inspicias, nullum , quod scribendis lucubrationibus daret , habuisse spatium reliqui temporis diceres; contraq;, cùm tam multa legas, quæ scripsit in otio numquam otioso, nihil eum egisse aliud tota vita affirmares. Decoratus est Neapoli Iannotius amplissimo sepulchro ; ad id natione Florentina libenti animo pecuniam conferente ; quod etiam nunc, dum uisitur, is quantus vir fuerit, & quanti fieret multis meritis, ostendit. Quæ reliquit opera, si omnia recenserem, immensi laboris esset, paruinq; breuitati huius operis consulerem . Fuisse multa summa cum doctrina elaborata magno id erit indicio, quod ea varias in bibliothecas homines

doctissimi sibi asciuerunt, & cupidissimè ducentos annos amplius adhuc retinent. Multa igitur volumina apud nos in bibliotheca Diui Marci conseruantur; multa itidem in ea, quæ Diui Laurentii nominatur. Extant etiam Cæsenæ multa in bibliotheca familiæ Diui Francisci; visuntur Romæ in Vaticana bibliotheca huius viri doctissimi lucubrationes; teruntur etiam omnium manibus partim quæ manu scripta sunt: partim impræssę typis peregregiam summæ virtutis memoriam testantur. Centum aut amplius volumina conscripsit: de quibus perstringam pauca. Magno est igitur in precio opus, quo res gestas Genuensiũ persequitur; laudatur itidem liber, in quo laus eorundem Genuensiũ continetur. Tractatus de viris illustribus est mirabiliter insignis; ab Adam vsque ad sui temporis viros percenset omnes, & quibus moribus, quibus artibus se illustrarint, diligenter enarrat. Dialogus de obitu filii sui omnium approbatione commendatur; de terræmotibus, atque eorum causis libri quattuor, quàm valde abundaret ingenio, ostendunt. Vita Senecę cum moribus Socratis comparata legentes ita oblectat, vt inde non mediocris fructus subsequatur. Vita præterea poetæ Dantis, vita Petrarcę, vita Boccaccii quàm multis redundant rebus, quas Iannotius ingeniosè, atque industriè perpetuę memorię dicauit? Egregius labor, & multis rebus opportunus hàbitus est, quo vitam Nicolai Quincti, Pontificis Max. conscripsit Pro concione laudatus est ab Iannotio, cùm obiisset mortem, Leonardus Arretinus; in eius viri laudibus commemorandis non exiguam laudem sibi peperit. Vbiq; vir hic insignis orationes habuit suæ Reip. nomine, non Florentiæ solùm, & Romæ, sed Venetiis quoque, & Neapoli; & profectò, dum eloquentiæ decus sibi comparat, patriam suam non mediocribus laudibus exornat. Celebratur mirum in modum illa nobilis oratio, quæ ab eo ad Vada Volaterrana, audiente exercitu, habita est; laudat illerei militaris disciplinam, colligit laudes, enarrat fortia facta, & in constituendo Duce, Sigismundo Malatesta, cuius auctoritati tradebatur exercitus, nomine Reipub. milites omnes ad fortiter nauandam operam hortatur. Longior essem, quàm res ipsa quærit, si orationes, quas habuit, omnes enumerare vellem; comprehendam breui, & multas fuisse, & multo artificio confectas esse affirmabo. Summi oratoris decus elucet in Iannotio; Sacrarum literarum scientia laudatur; in eo præterea vim philosophiæ intuemur eiusmodi, vt paucos ille pares possimus intueri. In latinam linguam ex Græca, atq; itidem ex Hebraica conuertit tam multos veteris, & noui testamenti libros, vt omnino mirum sit, quo pacto res tot, & tãtas vir vnus potissimũ ciuilibus negotiis districtus exhaurire nauiter potuerit. Omitto Aristotelis lucubrationes, quatũ magnam partem conuertit; res alias varias, quas scripsit, & collegit; quę si contigerit, vt promulgentur, virum omnino clariorem, quàm qui à me descriptus est, facile ostendent.

IOANNES ACCIAIOLIVS.

OMnium nostræ ciuitatis virum doctißimum paulò ante nouimus Ioannem Acciaiolium; qui Florentiæ optimis parẽtibus, & familia nobilißima natus, eò progressus est summa doctrina, vt eum & ij, qui multum valent ingenio, laudent vehementer, & qui doctißimi sunt, iure optimo admirentur. Deditus ille primò ciuilibus negotijs, occupationibusq; mercatorijs addictus, cùm primùm sapere cœpit, res graues cogitatione cõplexus est; dimißisq; ceteris curis, nobilißimis disciplinis ediscendis toto pectore se tradidit. Suam ipse inscitiam pertæsus, simul atq; foro salutem dixit, omnino mirũ est, vel florenti ætate quàm multa didicerit, & quàm omnium expectationem, quæ de se summa excitata erat, egregiè superarit. Clementi Thomasino dedit operam aßiduè, flagranti studio, vt in eius elogio dictum est; à quo nobiles artes principiò edoctus, quoties à viris sacris de rebus grauibus, vt singulis ferè annis fieri publicè solet, habebantur scholæ, quò docti viri disputãdi causa concurrebant, eodem se conferebat Ioannes, vt disceptationibus suscipiendis, quantopere didicisset, experiretur. Summo ille studio, atq; acri cùm alias mirabiliter, & doctè, tum ardenti animo, & grauiter eo præcipue tempore se gessit anno c I ɔ. I ɔ. LXV. cùm sacri viri ex collegio Diui Francisci Florentiam venerunt, vt in templo Diuæ Crucis generalis Conuentus ageretur. Hoc in loco propositis rebus arduis, disputauit Ioannes multis diebus audacter, & doctè; congressusq; cum viris doctißimis, cùm argumentorum suppeteret facultas, laudatus inde omnium vocibus discesit. Vir eximius, & insignis clarißimis artibus ornatus, quasi imbres copiosos nobilis scientiæ emittens mirabiliter capiebat homines, & cùm rei propositæ singulari quodammodo satisfaceret, magnos ad se audiendum hominum concursus faciebat. Negotij grauitas, de quo agebatur, incendebat hominem; singularis memoria, & linguæ volubilitas dabat ad dicendum animum; rerum multarum scientia acuebat ingenium, & ne contrà differentibus succumberet, generosa animi inductio inuitabat. Pecuniarum tractationem, quæ amplißima erat, fortiter ille dimisit, vt in se philosophiæ tractatio fortiore animo vigeret; statuit igitur in eas vrbes secedere, vbi per sũmos viros meliores disciplinę discentibus traduntur, vt aliquando tandem doctior factus remearet ad suos gloriosè doctrinarum diuitijs locupletatus. Id ipsum ei contigit egregiè, & copiosè; fuit igitur Bononiæ multos annos; magna cum dignitate viris doctißimis vsus est; nullum remisit tempus, quin totius vitæ subductis rationibus se ipsum

ad veram laudem exerceret. Pataauij præterea commoratus eſt diu,
variiſq; doctrinis ſe grauiter muniuit ; vt de omni re, quæ in diſce-
ptationem vocari poſſet, ſapienter diſſereret, & quæſtiones vel dif-
ficiles maximè, & arduas explicaret. Quò melius grauiſsimorum
auctorum ſenſus teneret, meliuſq; intelligeret, curauit ſummo ſtu-
dio, vt varias linguas maximè haberet cognitas, quarum præſidio
in latebras nobiliſsimarum diſciplinarum, & quaſi receſſus ita pene
traret, vt nihil eum falleret, & ſummo ſe auxilio communiret. Præ
ter Latinam linguam, & Græcam (quæ nobis ſua ſponte præ ceteris
ſe ſe offerunt) didicit ille Hebraicam, Caldaicam, Arabicam tan-
ta cum diligentia, vt monſtri ſimile videretur, quoties cum aliquo
differentem, & colloquentem audiuiſſes. Res enim varias acri me
moria comprehendens, ſummaq; induſtria diiudicans explicabat
deinde ad ſuum commodum &, quid valeret vi ſua, enarrabat. Tan
quam ad oraculum nobiliſsimarum artiũ concurrebat ad eum vnuſ-
quiſq; qui hæſitando, dum legeret, aliquid offenderat; facilè enim,
quæ per ſe aſſequi non poterat, opportunè adiutus cognoſcebat.
Magnos progreſſus idcirco in ſacris literis collegerat; ſolitus enim
eoſdem ſenſus vario idiomate notare, linguiſq; varijs expendere,
miros deinde fructus proponebat; vt qui doctiſsimi eſſent, re ipſa co
gnita, multumq; per ſpecta, prædocẽte Ioanne, doctiores deinde eua
derent. In ijs fuit ex ordine Diui Auguſtini Ioannes Baptiſta Arri-
ghius, Thomas Boninſegnius è familia Diui Dominici; Vitalis phi-
ſicus inſignis, Xenophon Petreius, ſacrarum literarum peritiſsimus;
multiq; alij viri doctiſsimi, qui, vt ſibi prodeſſent, frequentare do-
mum Ioannis, & cum eo crebrò eſſe conſueuerant. Quicquid erat
in optimis artibus cùm Bononiæ, tum etiam Pataauij, mira induſtria
ſcrutatus eſt; ſciſcitabatur à viris doctis, ecquid haberent, quod ſci
tu dignum eſſet, & eruditum; quo in negotio labori non pepercit
vnquam, difficultates exorbuit, &, quicquid erat in literis egregium,
collegit. Cùm ſe acri ſtudio roboraſſet, & vim ingenij crebris di-
ſceptationibus cõmuniſſet, cùm res iam nulla eſſet cùm in philoſo-
phia, tum in ſacris literis tam ardua, de qua tractare appoſitè, & co-
pioſè dicere non poſſet, cœpit doctiſsimorum hominum appetere
congreſſus, atque in concurſu diſceptantium magno animo conſi-
ſtere. Id ipſum igitur cùm crebrò faceret, crebriſq; diſputationi-
bus ſe exerceret, facilè euenit, cùm ſibi minimè deeſſet quotidie,
vt ſe nobis doctrinis augeret, atque omnium vocibus celeberrimus
euaderet. Admirabatur, qui veniebat auditum, doctrinæ nobili-
tatem, laudabat ingenij magnitudinem; tam magnam induſtriam
hominis nobiliſsimi numquam in alio ſe cognouiſſe affirmabat. In
parietibus publicorum gymnaſiorum, vbi quotidie a ſummis docto

ribus

L

ribus de summis disciplinis agebatur, frequenter varijs in locis legebantur inscriptiones huiusmodi; VIVAT excellens Ioannes Acciaiolius; quæ res & summi ingenij virum, & doctorem virtutis admirabilis ostendit. Id ipsum minimè leue cuiquam videri debet, cùm populi totius testimonium exprimitur, atque omnium consensus, quid sentiat maximè, declaratur. Faustis theatri clamoribus per multum tribuebat antiquitas; quoties enim contingeret, vt quis in theatrum spectatum veniret, continentique plausu exciperetur, nemo erat, qui rem eiusmodi negligeret, aut potius verum iudicium populi non agnosceret. Nonne igitur, cùm fuerit Ioannes doctissimo plausu publicis in gymnasijs decoratus, eruditissimorum hominum iudicio multum tribuemus? Patauij erat maximè celebris hominum concursus cùm eorum, qui discendi causa conueniunt, tum eorum etiam, qui artes nobilissimas superiore ex loco profitentur; sed tamen eminebant præter ceteros Pendasius, & Piccolomineus; quibus & doctrinæ vbertate, & iudicij magnitudine, vel primæ consensu omnium deferebantur. Cùm ijs Ioannes sæpissimè congressus toto audiente gymnasio, & iisdem crebris disceptationibus esse decori, & se ipsum veris laudibus illustrare consueuerat. In philosophia, quæ ad mores pertinet, tenebat ille res omnes maximè scienter; nihil erat in phisicis, quod eum lateret; in metaphysicis mirus erat; sacrarum literarum scientiam ita erat complexus, vt, si rem spectes, in ea facultate nemini concederet, & præ summo studio res occultissimas tentaret omnes, & maximè edisceret. Et profectò magnum est omnino, si quis harum rerum in singulis excellit, cùm Ioannes mirabiliter omnes haberet cognitas; & de omnibus subtiliter, & doctè disserere consuesset. Patauij persæpè, quanti esset, expertus est; nunc amicis rogantibus, nunc inuitante ingenio descendebat in pugnam; qui cùm animi causa id faceret; & si erat natura pugnatior, suumque decus vehementer expeteret, contra disserenti parcebat tamen, & ne argumentorum copia obrueret, aliquid de vi sua, cùm esset opus, remittere solitus erat. Anno CIↄ Iↄ. LXXIII. viris doctissimis ex sacris collegijs Diui Augustini Patauium concurrentibus, vt sacer ibi, & generalis Conuentus perageretur, cum eis, qui, vt mos est, scholas habebant, acerrimè disseruit Ioannes. Magnus hoc nomine, vt audirent, nobilissimorum virorum concursus factus est; Reipublicæ Venetæ Clarissimi Senatores adfuerunt; multiq; etiam, modò in literis aliquid saperent, & concursum auxerunt, &, vt fieret quàm maxima audientia, effecerunt. Ipse verò à multiplici sciẽtia diues & proponebat subtiliter, & respondebat audacter. Quod verò maximum est, & cunctis rebus præferendum

rendum

rendum, implebat ille aures eruditissimis sensibus &, quod expetebat, firmis rationibus comprobabat. Multis igitur verbis vltro, citroq; habitis discessit Ioannes ita omniū iudicio probatus, vt mirarētur iure optimo omnes, multisq;, & veris laudibus efferrēt. Cognoscendis nobilibus summorum hominum monimentis dedit operam assiduè Ioannes; curauit, vt, quę maximè vigent, maximè teneret; Peripateticorum disciplinas ita est labore, & vigilijs secutus, vt cun ctis, qui rem eandem expeterent, suo tempore pręstiterit; Sacrarū literarum scientiam habuit pręcipuo quod   i modo in amoribus; qui, & si non erat sacris ordinibus initiatus, quoties erat opus, de rebus sacris tamen doctissimè, & maximè scienter loquebatur; vt qui differentem togatum hominem audirent, & admirari industriam, & vim ingenij efferre laudibus non desisterent. Tenebat ille omnia quæ in summam cadunt, atq; admirabilem scientiam; vt ei nullam vel nobilissimi philosophi virtutem deesse putes, quoties in eo vim doctrinæ quàm maximè excutias. Fuit præterea, quod omittendum minimè est, quoties erat magnis de rebus disceptendum, mira animi lenitate; si quid ab aliquo absurdè, aut pueriliter dictum esset, minimè, cùm posset, refutabat acerrimè, sed excipiebat humaniter; & ne se derideri putaret, eam ipsius sententiam non solùm secum facere, sed cum sententia summorum philosophorum congruere affirmabat. Hominem mirum, qui, ne amicum amitteret, perdere victoriam non recusauit; minusq; sibi benignitate animi consuluit, cùm se multis laudibus vel suo præconio ornare potuisset. Ex philosophis erat apud eum magno in precio Aristoteles; ex theologis Diuus Thomas; quibus ediscendis & præcipuo flagrabat amore, &, vt se in eorum doctrinam insinuaret penitus, dimittere è manibus non solebat. Quoties contigit, vt vir doctrina insignis Florentiam veniret, toties Ioannes Baptista Strozzius, vir profecto in omni literarum genere eruditissimus, prę sto erat, qui eum ad Ioannem adduceret, &, vt de rebus philosophię quàm occultissimis communicare possent, quodam modo pręcipuo efficeret. Interfuit persępè vir summo ingenio prędītus, summaq; doctrina Laurentius Iacominius vnà cum Strozzio: qui siue studio in Ioannem incensi, siue amore patriæ commoti (erat enim laus periclitatis ingenij viribus illustrior) huic omnibus grato officio numquam defuerunt. Fuit insignis congressus Francisci Patritij cum Ioanne; peracris enim inter eos orta est disceptatio de summis rebus; quo in negotio Ioannis doctrina admirabilis enituit; tantumq; laudis cùm optimarum artiū scientia, tum viri doctissimi acri contentione sibi peperit, vt multis viris doctis audientibus vno omnium ore probaretur. Non erat is, qui supellectilem philosophiæ mediocriter teneret: sed res ob-

scuras, atque arduas complexus ingenium clarissimis subactum discipli nis ad explicandas difficultates afferebat. Quid ille Pater, è Societate Iesu ad eum ab Strozzio deductus, vir doctus in primis, & grauis, quàm valde doctrinam Ioannis admiratus est, quàm veris extulit laudibus? Is ad eum, Strozzio comitante, eo nomine deductus est; vt, quẽ fama antea nouerat, coràm videret, & viseret. Nulla igitur interposita mora, vt doctorum hominũ mos est, simul atque vterq; assedit, de literis nobilissimis mentio orta est; cùm de locis difficillimis disputaretur (sermo enim de rebus sacris iniectus est) mira ab hominibus clarissimis audientia facta est; qua in re nullam in partem fuit sui dissimilis Ioannes; quin etiam eorum, qui venerant auditum, consecuta est admiratio eiusmodi neminem esse, qui Ioanni scientiæ magnitudine præferri posset, ipsumq; nobilissimis disciplinis mirabiliter excellere. Pater ille præterea palam dicere non dubitauit, cùm esset ipse doctissimus, se numquam vllo cum homine esse locutum, qui scienter magis optimarum artium scientiam teneret. Fuit præterea morum sanctissimorum Sanctæ Ecclesiæ retinentissimus; ipseq; sibi indicio fuit; etenim dum de rebus diuinis disputaret, verba hæc certa quadam de causa in hanc sententiam quandoque protulit; si cuius rei mihi conscius essem, meoq; in hoc corde latitare aliquid putarem, quod à sinceritate nostræ pietatis abhorreret, mea manu, rupto pectore, hoc ipsum cor à me ipso discinderem, ne in me vel minima impietatis pars vlla resideret. Ita enim vitium prauitatis hæreticę horrebat, vt de pacisci morte vellet, vt suspicio omnis à se penitus facesseret. Hæc res vna, quicquid ageret, honestabat mirabiliter; mentis enim munditia, & doctrina singularis præcipuam quandam summo viro auctoritatem comparabat. Iam verò non suorum maiorum meritis tantùm (nobilissimo enim, vt dictum est, genere ortus est) sed sua virtute potissimùm à Francisco Magno Duce in numerum XXXXVIII. virorũ ascitus est. Contigit igitur aliquãdo, vt esset Ioannes in magistratu Octo virorum, cùm res eo tempore vehementer ardua agitanda esset; in qua dum sæpè antea repetita esset, ob difficultatem non dum exitus tamen reperiebatur. Sed Magnus Dux cùm fore hanc causam cognitionis Ioannis intelligeret, affirmauit grauiter, breui fore (sicuti factum est) vt rectè, atque ordine conficeretur. Perspectum est enim, quod non solum disciplinas nobilissimas scienter teneret, verum etiam, quod Re pub. occupationes nauiter obiret, atque egregiè conficeret. Reliquit multa doctissimorum problematum volumina, magno ingenio, magnaq; industria elucubrata; quibus, qui legerunt, tribuunt multum, multaq; etiam ex eis fatentur didicisse. Vir mirus rebus obscuris cognoscendis semper intentus, vt sibi vni inseruiret, multisq; etiam prodesset, multa collegerat, effeceratq; notandis rebus grauibus, vt magnum quoddam corpus confici possit. Has lucubrationes ab Ioanne inuitati, vt dixi, leguntur

runt multi, atque in iis Ioannes Baptista Arrighius; qui & admiratur doctrinam, & iudicium dilaudat, &, vt promulgentur, si fieri potest, multis rationibus exoptat. Hic ille est, qui intimus Ioanni totos esse cum eo dies, multumq; etiam de rebus grauibus loqui consueuerat. Quoties igitur tanti viri fit mentio, discruciatur pænè Arrighius, tantum virtutis, quantum in alio numquam se vidisse affirmat, venire in periculum, vt nobilissimorum laborum minuatur memoria, vt vim summi ingenii obruat obliuio, quæ, vt posteris prodesset, omnium pænè vocibus expetitur, & ne tam magnum malum aliquando contingat, cunctis viribus obnitendum esse arbitratur. Id ipsum nunc quicquid est, quod profecto maximum est, satis omnino est ad ostendendam viri clarissimi virtutem; qui etiam si nihil scripsisset, esset tamen illustris sua sponte, cùm omnibus notus multis literis obscurus esse nullo modo posset. Quid? non ne virtus Socratis, & Demadis, qui clari priscis seculis fuerunt, etiam nunc lucet, quamuis, quod scripserint, nihil extet? Quęte in nostris Guidi Caualcantis monimenta, præter vnam cantilenam perbreuem, nihil reperies; scrutare, quid Aloysius Marsilius scripserit, quod commendes, nihil habebis, Qui tamen omnes & ingenii magnitudine, & multiplici rerum nobilissimarum scientia nemini concedunt, doctissimisq; viris permultis præferuntur. Fuit Demades, quod memoriæ proditum est, & vehemens, & acer, & in omni re cumulatus orator; fuit Socrates in philosophia, quæ ad mores pertinet, eminentissimus; vt ei, qui multa scribunt, tribuant multum, multisq; laudibus hoc nomine afficiant. Guidus autem Caualcantes nobilium artium scientia tantum valuit, vt poetæ nostro Danti, qui eiusdem floruit ætate, doctissimorum virorum iudicio præferatur. Aloysius Marsilius non sine causa Magister magistrorum dictus est, qui apud nos in viris illustribus numeratus est; quiq; & si nihil scripsit, locum tamen viri doctissimi admirabilium rerum scientia tuetur. Iure igitur optimo in viris clarissimis Ioannes Acciaiolius numeratus est; qui hac nostra ætate ea summæ doctrinę dedit documenta, vt laudis veterum patrum nostrorum memoriam renouarit, & suam domum, & se ipsum nobilissimis disciplinis illustrarit.

IACOBVS TAVANTIVS E FAMILIA ORDINIS Seruorum Diuæ Mariæ.

Iacobus Tauantius apprimè vir illustris Florentinis moribus nutritus, attesq; nobilissimas Florentiæ edoctus, dum eas publicis in gymnasiis profitetur, Seruorum familiam, quę illum semper aluit, etiam nunc viuens magna cum laude egregiè illustrat. Didicit Florentiæ primis ætatis temporibus rectè facere; qui sacram in Seruorum Societatem

puer admodum admissus progressus optimarum artium tam vberes collegit, vt in hominum animis spem futurę virtutis minime mediocrem excitaret. Certauit in hoc viro summa cum virtute summa probitas; vt cùm esset dubium, cui laus sit maior tribuenda, satis constet, cùm fuerit omni tempore vtraq; alteri præsidio, vtriq; multum esse tribuendum. Cùm suos mores ineunte ætate viris grauissimis probasset, &, quantum didicisset, multis rebus ostendisset, Patauium suorum Patrum consensu missus est, vt Stephano Bonuccio, eiusdem Ordinis, viro doctissimo operam daret, eoq; docente disciplinis se nobilissimis, exornaret. Hic vir ille est, qui à Gregorio XIII. Episcopus Alatrensis creatus, pauloq; post ab eodem Episcopatu Arretii decoratus est, à Sixto autem Quincto in collegium Cardinalium cooptatus. Quamobrem cùm Patauii sub disciplina viri clarissimi, tùm etiam Bononiæ profecisset tantum, quantum non solum sibi soli, sed aliis erudiendis esset satis, missu doctissimorum virorum venit Florentiam, vt iuuenes suæ Societatis ad sapientiam eru diret, &, quæ studiosè collegerat, explicandis clarissimis auctoribus expromeret. Eodem pænè tempore cathedra, & concio tantum illi dignitatis attulerunt, vt nullum esset negotium, quod magno animo suscipere, & perficere nauiter non posset. Multis enim disciplinis ita se copiosè communierat, vt vel in maximis disceptationibus numquam esset non paratus. Vox igitur canora, & dulcis magnam illi in concionibus faciebat audientiam; fructus verò nobilissimarum artium vberrimus quid vis in omnium animis, qui concurrebant auditum, persuadere con sueuerat. Contigit igitur hoc tempore CIↃ. IↃ. LX. vt locus summæ dignitatis, qua publico in gymnasio Pisis vir lectissimus sacras literas doceret, potissimùm vacaret; multisq; cupidè petentibus, Cosmi, Magni Ducis iudicio delectus est Tauantius præcipuè, qui tantum oneris susciperet, summæq; expectationi responderet. Per annos sex, & quadraginta durat adhuc vir insignis, suoq; in curriculo egregiè versatur; qui, dum se continentibus lucubrationibus exornat, Cosmi iudicium mirabiliter illustrat. Monstri simile, cùm videas adhuc hominem octo gesimum agentem annum eadem munia obeuntem, quibus & florentes viribus defatigantur, &, vt possint respirare, vacationem à labore sæpenumero efflagitant. Veneranda illa canities, grauitas vsquequaq; admi rabilis simul atq; pedem limine extulit, omnes omnium cogitationes sin gulati quodam modo superauit. Hominum studiosorum, & grauium sapiētia nihil vmquam vidit hoc viro clarissimo illustrius, nihil melius; ad eum qui de rebus dubiis eunt sciscitatum quàm multa, quàm verè, quàm sanctè fatentur didicisse? Homines literati iucundo se spectaculo oblectant, quoties differentem cum aliquo contigit audire. Comparatus Tauantius Lælio Placentino, viro doctissimo (is enim Pisis tunc doctor publicus easdem sacras artes summa cum laude profitebatur) quem to-

tius Florentinę ditionis Inquisitorem nunc habemus, superioribus annis quos concursus facere, quos homines, vt interessent disputationi, commouere solitus est? His viris clarissimis (vt publici lex gymnasii requirit) de rebus sacris disceptantibus Hieronymus Mercurialis vir summa præditus doctrina, quàm audire libenter, quàm singulari affici voluptate, quàm multa discere professus est? Quid de Lucensi Hippolyto Massarino Ordinis Seruorum, Episcopo Montis pilosi, multa dicam? hic vir insignis præclaris artibus, quas, præmonstrante Tauantio, didicit, facilè ostendit, quanta magistri debeat esse laus, cùm in discipulo quotidie magis insigniter lucet. Eorum præterea, qui Pisis operam discendo Tauantio dederunt, permagnus est numerus; præter ceteros eminent duo claris artibus, atq; ingenio insignes, Franciscus Panicarola, & Faustinus Tassus è familia Diui Francisci; ij multa doctrina cùm concionibus, tum habendis scholis, dum, quantum didicerint, fatentur, doctissimi præceptoris meritum efferunt. Panicarola autem Bononiæ, & Romæ suis in concionibus testatus est planissimè & quanti faceret Tauantius, & quàm multum iure optimo viro clarissimo deberet. Dum igitur concionatur, & doctrinam præceptoris doctissimi dilaudat, in hunc modum, quid de Tauantio sentiret, testatus est, vt sedulò affirmaret, si quid sibi populus concionarius suis in concionibus tribueret, id ipsum Tauantio daret, qui, quantus ille esset, effecisset. Qui rerum sunt periti trecentos, aut amplius enumerant, quos insignibus doctoris decoratos ad sapientiam erudiit. Extant eorum omnium nomina apud eum, qua sint oriundi patria, quibus à se præconiis celebrati; vt, cùm fuerint varias in partes disseminati, totam Italiam, finitimasq; regiones gloriosum Tauantii nomen peragrarit. Quantis ille commodis sui collegii viros magno animo affecerit, omnibus est, vt opinor, exploratum; etenim cùm primùm summis rebus adhiberi cœptus est, & vim virtutis explicare potuit, quàm se ille gessit egregiè, quàm cuncta grauiter instituit, quàm piè, quàm sanctè ad cultum Dei, Opt. Max. omnium voluntates inflammauit? Nihil ei magis cordi; nec antiquius vnquam fuit, quàm vt cultus Religionis esset quàm maximus, & quàm amplissimus. Qui res metiri grauiter soliti sunt, quoties Iacobi Tauantii animum, & res gestas intuentur, toties in eo fatentur se cernere administrationem viri principis, tenentis optimè clauum Reipub. Id ipsum postea quam anno CIↃ. IↃ. LXXVI. Generalis renunciatus est, optimè declarauit; tam multa hoc triennio (id enim tempus præfinitum est) in hac sacra dignitate molitus est sapienter, tam egregiè præstitit, vt cùm omnibus, quod maximè arduum est, satisfaceret, omnium sibi voluntates non mediocri erga se beneuolentia obstringeret. Parmæ igitur, vbi sacris comitiis res acta est, cunctis votis iterum per triennium Generalis deligitur; ea etenim proximis annis æquitatis, & prudentiæ dederat documen-

ta, vt omnium vocibus expetitus clarissimis viris non posset satisfacere, nisi eandem curam susciperet, atq; idem oneri etiam præsideret. Deprauatos mores hostili odio persecutus est semper; optimarum artium studiosos ita iuuit, & fouit, vt quò promereretur magis, nihil sibi reliqui fecerit. Magnus, eo gubernante, literatorum floruit numerus; vitiisq; & sceleribus vis fracta est. Quid? ea industria quanta fuit, qua sacros viros sui collegii princeps Barcinonem vsque tamquam in coloniam deduxit? quæ deinceps mirabiliter aucta Hispaniæ regiones interiores petiit, multisq; sacris collegiis Seruorum quàm maximè hoc tempore fruticatur. Loca sacra, quę in insula Corsica sua ipsius Religio habet, acerrimè ille, magnoq; studio defendit; de quibus cùm viri clarissimi aliter sentirent, rem tamen obtinuit Tauantius; & cùm multa templa aliis in locis Seruorum Religioni sociata viserentur, ne vna quidem sacra ędes desideraretur, huius viri vigilantissimi diligentia perfectum est. Vsus est viri opera Alexander, Cardinalis Alexandrinus, vt magnis de rebus ageret suo nomine cum Francisco Magno Etruriæ Duce; vsus est etiam Boncompagnus Boncompagnius iisdem apud Gregorium XIII. Vsus est iterum Farnesius in legibus, & priuilegiis Seruorum constituendis; in qua re & si nonnullis etiam sacris viris huius Ordinis mandatum erat, Tauantio tamen permissum est, vt, quid huiusmodi legibus seruandum esset, vnà cum aliis statueret. Hę leges manent nunc maximè, & summi viri iudicio constitutæ obseruantur. Fuit huic viro summo præter cęteta cordi hæc Diuæ Annuntiatæ nostræ vrbis sacra ędes, quam quibus potuit rebus, Indulgentiis auctam, & sacris vestibus amplissimè ornatam esse voluit; Id vt contingeret, non pepercit sumptibus, milleq; aureos liberaliter impendit. Extat sacrum diploma Gregorii XIII. in quo, ad id satagente Tauantio, norma administrationis huius Ecclesiæ Diuæ Annuntiatæ continetur. Præterea magno ille concursu biennium concionatus est in principe Pisanum æde singulari cunctorum hominum approbatione; summa cupiditate veniebat auditum ingens numerus cum eorum, qui probitatem admirantes optimis moribus animorum suorum salutem augere cupiebant, tum eorum etiam, qui nobilissimis artibus eruditi & se delectari maximè, & diuinis commodis cumulari sentiebant. Alterum deinde biennium in Ecclesia Equitum Diui Stephani concionatus est eadem cum dignitate, tàm fecundo populo, vt illustrius fieri nihil posset, nihil gloriosius. Suppetebat viro doctissimo insignis argumentorum copia; præstò erat verborum, & sententiarum materies opportuna; non deerat oratoria supellex, quâ & eorum, qui audiebant, impellebat animos, & vt se respicerent, & de salute cogitarent, egregiè admonebat. Probitas illa singularis, doctrina sine fuco, mirum, quàm in hominum mentes influere, & vim oratoriam moliri mirabiliter consueuerat; consilio, quoties fuit opus, priuatisq; concionibus

Equitibus Diui Stephani liberaliter inseruiuit; labores suscepit sua sponte, virgines sacras sermonibus, vniuersos Pisarum ciuitatis magnis, multisq; commodis affecit. Non sine ratione idcirco vniuersorum pater nuncupatus summè omnium animis expetitus est, vt Archiepiscopus illius vrbis constitueretur, atque eo nomine à Francisco Magno Duce quandoque appellaretur. Ipse autem integritate animi contentus, quicquid aliorum moliretur cupiditas, parùm attendens modicis suis rebus ita conquieuit, vt satis se magnis vitę conditionibus vti arbitratus sit, si vt sibi ipsi, & Deo viueret, licitum esset. Dum Pisis concionatur, interea docendi munus non dimisit vmquam; duplicíq; oneratus munere vtriq; ita respondit, vt industriè difficultates hauriret, & labores se offerentes hilarè exciperet. Anno igitur CIↃ. IↃ. LXXVII. cùm Patres Diuæ Mariæ multum satagerent vnà cum Comite Ioanne Pepulo, vt Bononiæ concionandi munus in templo Diui Petronii alicui suo ex collegio daretur, affirmauit grauiter Ioannes, se præter vnum Tauantium neminem omnino malle; eoq; nomine ad Cardinalem Farnesium scripsit (qui tum Seruorum Ordinis Protector erat) vt sibi id, quò rem obtineret magis, loco gratiæ tribueret. Tauantio scripsit è vestigio Cardinalis, iusta petere Ioannem, atque esse ęquum (sicuti factum est) vt viro summæ dignitatis morem gereret. Erat tum Generalis Tauantius, atque id tempus à docendi munere publicè vacabat; quo nomine petebat vehementius Ioannes, &, ne sibi denegaret, magis contendebat. Concionabatur hoc eodem anno Bononiæ in principe ęde Marcellinus Euangelista, vir habendis concionibus insignis; vt, cùm cepisset prouinciam Tauantius, magno se illigari onere passus sit, qui viro doctissimo oppositus planissimè de sua dignitate agi secū intelligeret. Sed tamen hac pia ęmulatione factū est, vt vterque alteri concedens gloriosior euaderet, atq; exemplum moderationis admirabilis præberet. Sequentibus deinde annis vocatu Octauii Farnesii, Parmensis Ducis, Parmæ concionatus est; quo in negotio fuit sui non dissimilis, præclareq; ostendit, se cùm locum principem in disceptationibus scholasticis teneret, in oratoria facultate nemini concedere, atque in viris sui temporis clarissimis excellere. Concionatus est præterea Pisis in templo Equitum Diui Stephani Aduentus Domini tempore potissimùm per annos amplius quinque, & viginti; magnus concursus factus est, magnus honor habitus viro clarissimo; doctrina insignis fecit illi miram audientiam, concurrentibus viris doctissimis auditum; qui cùm soliti essent eius concionibus salutaribus se pręceptis augere, & adfuerunt frequentes, atque hominis de se optimè meriti eloquentiam, quibus potuerunt modis, honestarunt. Pisarum ciuitati (Florentiam tamen excipio) tribuit multum omni tempore Tauantius; coluit quàm potuit maximè; dilexit eo pacto, vt summo in amore summam cupiditatem salutis animarum pręcipuè inspiceres. Idcirco ab Re-

ligione Equitum Diui Stephani, itidemq; ab Archiepiscopo Theologus delectus est, qui suis maximis curis, si quæ inciderent, præsideret, atq; opportunè rebus dubiis consuleret. Religioni præcipuè Diui Stephani per annos sex, & quadraginta nauauit operam hoc ipso munere, summaq; fide hominum nobilissimorum vtilitatibus inseruiuit. Nemo, quo conscientia expurgetur, melius cognouit vmquam, nemo sanctius; quippe qui mentis munditia cùm se totum præceptis sanctissimis excoluisset, aliorum vitam commodè tueri posset, & sartam, & tectam conseruare. Anno prætereà Iubilæi CIↃ. IↃ.XXV. missu Petri Iacobi Borbonii, Archiepiscopi Pisarum Romam se contulit Tauantius, comitantibus cùm Pisanis ciuibus nobilissimis, tum sacerdotibus etiam honestissimis; habuit ipse, audiente Pontifice, de te grauissima luculentam orationem, & insignem; efflagitabat Senatus Pisani nomine, vt vniuersæ ciuitati benediceret Pontifex; quæ multum ambigens, ne sui maiores multis antea seculis quondam nonnullo non dum se crimine expiassent, expetebat tunc lacrimis, & precibus, vt benedicendo hanc dubitationem penitus demeret è ciuitate, & curas tristes, fluctuante animo, extingueret. Quibus ille rationibus se in causam pedetentim insinuauit? qua dicendi copia rem totam egit? per cineres maiorum illustrissimæ ciuitatis petiit; per humanitatem eius, qui erat beneficium daturus, obsecrauit; per Diuorum omnium pietatem precatus est, vt se, suumq; comitatum compotes voti domum dimitteret; vt quando Romam tristes fecissent iter, paulo post hilares domum ad suos remearent. Re igitur perorata, vti rogarat, factum est. Rediit Tauantius Pisas hilarè cum comitatu, nuntiumque optatissimum afferens exceptus est tanta omnium lætitia, vt vix gaudium, quod maximum erat, mentibus perciperent, & summùm se viro præstantissimo beneficium debere faterentur. Idcirco grates actę sunt Deo, Opt. Max. Diuisque omnibus, quod mens liberata curis, dempta animis anxietate, absque metu diuinæ offensionis omnes vitæ suæ annos traducere posset; cùm id beneficium Iacobo Tauantio maximè deberet. Consensu igitur omnium ciuium, atque acclamatione data est illi ciuitas, & vt se Pisis gereret pro ciue, liberaliter permissum; quin etiam (tam fuit grata hæc legatio) singulis annis, quo die Pontifex Max. benedixit ciuitati, celebratur Pisis memoria tantæ rei; vexillum, in quo effigies Tauantii depicta est, per vrbē publicis supplicationibus præfertur, & grates Deo Opt. Max. grato animo aguntur. Quanta est hęc laus, supreme Deus, quanta dignitas? Sed veniet quandoq; tempus, vt virtus tanti viri ex merito celebretur magis, cùm elogiorum ratio, vt studeam breuitati, potissimum admoneat. Non ne id in Tauantio maximum est, quòd consensus hominum illustrium dedit ei semper probitatis testimonium? quòd extulit laude virorum doctissimorum magnus numerus? quòd illustrissimi Archiepi-
scopi

ſcopi virtutem admirati ſunt? quòd vniuerſa ciuitas viuentem etiam nunc dilaudat,& de viro optimè merito benè cogitare non deſiſtit? Per multi maiorum ſuorum meritis fuerunt gratioſi; alii adiuti commendatione familię ſummos dignitatis gradus, ſunt adepti; hic verò à ſe ipſo pęnè ortus & per ſe ipſum pręcipuè nixus,prouehēte virtute in hāc ſummam dignitatem, contradicente nemine,aſcendit,vt diuinis tantum monitis, quicquid actum eſt,acceptum referat,& vitæ integritatem,ſanctitatem morum Deo potiſſimùm, & ſibi vni tantùmmodo debeat. Relicturus eſt poſteris lucubrationes permultas; in ſupellectile multarum rerum extat apud eum volumen, cui titulus eſt Abraham,magno ſtudio & continenti diligentiâ elucubratum; perſcrutatus eſt quicquid eſt librorum, in quo de celebertrimo Patriarca mentio fit; omiſſum nihil eſt, quod ad ſummum virum ſacris in literis omnino pertinet. Index in totum opus Magiſtri Sententiarum mirus eſt; non ille ſolum in hoc labore ſenſus abditos, ſed ſingula etiam verba magno ingenio expendit; vt ſacrarum literarum ſtudioſis magno emolumento ſit futurus,ſi contigerit aliquando, vt typis promulgetur. De horis Canonicis tractatus ingenioſè, & ſubtiliter elucubratus eſt Tuſcis verbis admirabili cum induſtria. Qui ita expetitur,vt,quò quiſq; huiuſmodi rerum eſt peritior, eò ſui commodi cauſa difficulter careat magis. Volumen præterea, cui nomen eſt; Regulæ ex ſanctis patribus ad intelligendam diuinam ſcripturam; planiſſimè oſtendit, quàm magno ingenio præditus fuerit, & quàm vberes progreſſus incredibili patientia collegerit. Ad perdiſcendam ſacrarum literarum ſcientiam nihil eo opportunius, nihil melius; hoc labore duce,& aufugient difficultates,& viæ ad rem, quæ propoſita erit, cognoſcendam facile patebunt. Liber denique qui Ager Dominicus appellatur; in quo theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ Dei ſunt abſconditi, inſignis ſua ſponte, immenſis pęne vigiliis elaboratus, teſtis erit earum laudum omnium, quas ſingulis horis viri doctiſſimi in Tauantium conferre ſolent. Conſtat enim nunc amplius quinque, & viginti voluminibus doctrina multiplici, & copioſa: quod ipſum opus aut iam inibi eſt, aut perfectum eſt. Id tamen exploratum eſt, lectorem in eo opere legendo defatigatum iri prius,quàm Tauantius, qui ſibi in eo perpolien do adhuc non parcit, vllo modo defatigetur. Illud eſt tamen in ſummo hoc viro magnopere notandum, auctorem ab eo neminem volutari, aut legi ſine ſtylo, qui & ſi ſuo Marte tam multa tam egregiè didicit, nec tan dis tamen aliorum libris crebra ſcriptione ſe præſtantiſſimum effecit. Piſis præterea, quod ſilentio prętereundum non eſſet, contiguis in ędibus templi Diui Antonii, hoc eſt in collegio Seruorum, amplius trium millium librorum bibliothecam inſtituit admirabili varietate, nobiliq; doctrina. Viſuntur libri copioſè admodum de humanitate, de hiſtoria inſcripti; leguntur volumina, in quibus agitur de logicis, de philoſo-

phia

phia, de ciuilibus, de canonicis legibus; theologię verò ſupellex, quę partim ſcholaſtica, partim dicitur de ſcriptura, mirandum in modum eſt inſignis. Vir mirus curauit potiſſimùm non ſolum, vt bibliotheca omni genere voluminum referta eſſet copiosè, ſed vt iis præcipuè conſtaret, quę doctiſſimorum hominum iudicio probantur. A viro ingenioſiſſimo delecti ſunt ingenioſè ſummi auctores, qui, dum afficiunt laude ſummum virum, ſe ipſos nobilibus lucubrationibus exornant. Non deſunt eorumdem virorum, qui ſcripſerunt, pictæ imagines, multęq; etiam res aut natura, aut artificio nobiles, quæ traductę priſcis ex temporibus ad hanc ætatem bibliothecę non minimum afferunt dignitatis. Coſmi etiam, Franciſci, & Ferdinandi Magnorum Ducum ſtatuæ è marmore locum ipſum ita ornant, vt egregiè illuſtrent, & qui eas ſtatuendas curauit, quàm ſingulari ſit virtute prędiſtus aliis etiam præclaris monimentis, ſingulis horis inſigniter teſtantur.

FLORENTIAE,

In Officina Sermartelliana. 1607.